[illegible]

THESAURUS
Parvus
POETICUS,
Sive

Varia, & elegantia Carmina, ultra 4000. plurimis Rhytmis, curiosisque Ænigmatibus inspersis, de omni fermè materiâ non sine fructu, ac joco discurrendi, & litteris Epistolaribus inserendi, ex diversis, illustribusque Poëtis tum collecta, & tum composita

AB

Admodùm Reverendo, Nobili, Excellenti, ac Clarissimo Domino

JOANNE BAPTISTA DANNER, Dorenbirensi, Rhæto Austriaco, S. S. Theologiæ Doctore, & ad S. Petrum Viennæ Confessario.

Pro Coronide accesserunt Proverbia Italica Linguam hanc intelligentibus úsitatissima, & jocosa.

Cum Superiorum Permissione.

Viennæ Austriæ,
Anno Christianæ Salutis 1719.
VIrgo saLVtIs aVe, qVà nobIs sVrrIpItVr Væ,
QVæ prIMæVæ EVæ Væ IaCIs InDe breVe.
Ex Typographia Cæsarea Imperiali Aulica.

Approbatio.

Libellum, cui Titulus: *Thesaurus parvus Poëticus*, in utilem curiositatem legentium censeo posse imprimi; Si ita visum fuerit Reverendissimo, Perillustri, ac Magnifico Domino Universitatis Rectori.

ANTONIUS URNOSSI, S. J.
p. t. Profess. Poës.
Mppria.

Imprimatur.

GEORGIUS HENRICUS de LAMPRECHT.
S. S. Theologiæ Doctor, Cathedralis Ecclesiæ Viennensis Decanus, & Universitatis Viennensis Rector.
Mppria.

PRÆ-

PRÆFATIO
Ad Benevolum Lectorem.

INter ſeptem Artes liberales intellectuales non minima eſt alma Poëſis, quæ, ſecundùm Ciceronem eloquentiſſimum Oratorem, adoleſcentiam agit, ſenectutem oblectat, res ſecundas ornat, adverſis profugium, atque ſolatium præbet, delectat domi, non impedit foris, pernoctat nobiſcum, peregrinatur, ruſticatur. Poëtas eloquentiam, bonosque mores efficere quàm plurimi & jure teſtantur; Oratori ſiquidem plurimùm conducit ſedula Poëtarum lectio: namque ab iis & in rebus Spiritus, & in verbis ſublimitas, & in affectibus motus omnis, & in perſonis decor petitur.

Fabius volumine 10. cap. 1. ait, Homerum omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedisse. Quis Homerô præstantior ad eloquendum? De bonis moribus ipse Ovidius testimonium præbet. Vol. 3.

Adde, quòd insidiæ sacris à vatibus absunt,
Et facit ad mores ars quoque nostra bonos.
Est DEUS in nobis, sunt & commercia Cæli,
Sedibus æthereis Spiritus ille venit.

Strabo commemorat, Poëticam ab ineunte nos ætate ad vivendi rationes adducere, & affectiones edocere, res gerendas cum jucunditate præcipere; & idcircò Græcorum Civitates ab ipso primordio eorum liberos in Poëtica erudiisse. Cicero inquit. Atqui sic à summis, eruditissimisque hominibus accepimus: cæterarum rerum studia & doctrinâ, & præceptis, & arte constare; Poëtam verò naturâ ipsâ valere, & mentis viribus excitari, & quasi divinô quôdam Spiritu inflammari.

Mos est Studiosorum, & is planè laudabilis, ut celeberrimorum Scriptorum vo-

volumina perlegentes annotent, seligantque non parùm multa, quæ memoratu digna esse videantur. Hoc Plinium illum multiscium factitâsse tradunt, qui nihil unquàm legit, quòd non quædam excerperet: qui dicere solebat, nullum librum esse tàm malum, ut non aliqua ex parte prodesset.

Exemplo Majorum ex diversa Poëtarum lectione collegi, decerpsique, veluti ex pulcherrimo prato flosculos hosce versuum odoratissimos, qui spirant suaveolentiam jucundissimam, qui tanquàm amaranthi minimè marcescunt. Sunt hæc ex sylva Poëtarum scitissimè decerpta, quibus aut sententia naturalis, moralisve, aut laus virtutis, aut censoria morum castigatio, aut præcepta saluberrima continentur: opusculum prorsus non minùs conducibile, quàm delectabile.

Verùm Carmina hôc malitiosô tempore honorem debitum non habent, item virtutes in pretio nòn sunt, sed divitiæ. Uti conqueritur Ovidius lib. 2. de art. amandi.

Quid tibi præcipiam teneros quóque mittere versus?
Heu mihi! non multum Carmen honoris habet.
Carmina laudantur, sed munera magna petuntur,
Dummodò sit dives Barbarus, ille placet.
Ipse licèt venias Musis comitatus Homere,
Si nihil attuleris, ibis Homere foràs.

Profectò, Benevolè Lector, nemo, nisi ab omni animi intelligentiâ se alienissimum fateri velit, inficiabitur, Carminibus, & Proverbiis, quasi vibratis sententiis, summam venerationem deberi; non in postremis illarum fuisse habitam apud Majores nostros cognitionem, plenissimè primi nominis Auctorum monumenta demonstrant. Sciebant siquidem, hujusmodi sententias, versúsque elegantes breviter proponere, qui ad vitam, moresque hominum probè informandos apprimè necessarii essent. Nullum omninò vitæ genus prætereunt, cui salutaria, honestè, ac beatè vivendi, prudenterque agendi præcepta non tradunt. Magnates, & rerum

rum Dominos clementiam, Judices æquitatem, Nobiles virtutem, Magistratum moderationem, & vigilantiam docent: Eruditos mirâ perfundunt voluptate, imperitos erudiunt, ignavos excitant. Inest nimirùm proverbialibus sententiis Carmine expressis quædam, & genuina vis veritatis apud omnes ferè gentes.

Lector Benevole perlege hæc, & lætaberis, dicesque, te non parùm debere hisce Carminibus, quæ sparsim apud plures Scriptores cum labore reperiuntur, ea in unum quasi corpusculum redacta tradidi typicæ impressioni, ut citra morosam fatigationem obvia sint.

Ne pigeat, si grata placent cognoscere Lector,
Hunc oculis crebrò pervolitare librum.
Invenies passim, quæ te legisse juvabit,
Seria sunt lepidis plurima mista jocis.

Vale.

Disticha 2000. Carmina 4000.

Varii Illustrium Poëtarum Flores.

Ad Libellum.

Cui Author Carmine purè cancrinô Zoilorum precatur clementiam, Tyronem animat, & exercitati ingenii causam demonstrat.

NEmo te, nemo neget: ô tege nomen, & omen,
  Rodo tibi subitò, cotibus ibit odor.
Etsi ferè darem rosor me radere, siste:
  Sorbile do; regeret te; rege, rode libros.
Signifer erades sannas? sedâre, refingis
  Aera: ne verè dédere vena rea.
Sis Nero fatali donô dilata forensis,
  Te vel anas artem, non metra sana levet.
Tignifer angit: alam mulum; mala tigna refingit,
  Jus amisit (aret te ratis ima) sui.
Tyróne vina sitis? madidam sitis à Nive norit:
  Ore, tibi robur (non rubor ibit) ero.
Atla tu signum mutatum mungis, ut altâ
  Marte patres alâ Dædala serta petram.
Sicca bonis edet ora Maro te desino baccis:
  Mutem arcas, animi limina sacra metum. (a)
Aura subit lasso, Diti dos, saltibus arva:
  Aut accis animâ samina sicca tuâ,

Musa

(a) Invidi cogitant mutare.

Musa noces? iter ara para reti: seco nasum,
Meta rotâ tereti si teret (b) ATO ratem.
Serva (si revomes, messem semoveris) aures:
Semita tutelâ me malè tuta times.
Sic animata (c) minas? addas animata: minacis
Rore favi vegetor: protege; viva feror.
Sumere terret ibi seges? ibi terret eremus?
Ira mari? telis i, silet ira mari.

Versus suprà positi eôdem modô retrorsum, quô antrorsum leguntur: ideò Carmina vocantur cancrina.

Carmen Anaphoricum est repetitio primæ dictionis per aliquot Carminum principia: ut

Vita quid est? labor est, & amor sceleratus habendi,
Vita quid est? luctus, mortis timor, anxia cura;
Vita quid est? scena, & labentis fabula mundi,
Vita quid est? cursus per vasta pericula Ponti:
Vita quid est? fuga præcipitans, atque ocyor Eurô,
Vita quid est? fumus fugiens, & bulla caduca:
Vita quid est? vix una dies, vix mobilis hora,
Vita quid est? umbra, aut vix umbræ somnium inane.

Carmen Epiphoricum superiori contrarium, est, quod unô, eôdemque verbô plures Versus terminat: ut,

Si mihi sint vires, & prædia magna: quid inde?
Auri sint species, argenti massa: quid inde?
Si mihi sint nati Regis de stirpe: quid inde?
Longus servorum mihi serviat ordo: quid inde?

(b) ATO Hieroglyphicum est Christum denotans; medium enim illud T crucis figuram significat, ipsumque adeo crucifixum, cujus vox est in Apocalypsi. Ego sum A. & O Principium, & Finis. (c) Subintellige (time,)

Et rota fortunæ me tollat ad astra: quid inde?
Si felix annis regnavero mille: quid inde?
Nam citò prætereunt hæc omnia: quod nihil inde?
Serviat ergo DEO omnis homo: quia sic satis inde?

Carmen Amphibologicum.

Devorat os oris, quidquid lucratur os ossis,
Os oris loquitur; sed os ossis roditur ore.
Clava ferit, clavus firmat, clavisque recludit:
Tange lyram digitis, liram fac arator in agris:
Sulcus agri lira est, dat lyra tacta sonum.

Beatissima Virgo.

Tot tibi sunt dotes, Virgo, quot sidera cælo,
Tuque es miràclis splendida tota tuis.

Fortuna.

Audaces fortuna juvat, timidosque repellit,
Sedulus & quæris, res tibi certa venit.

Hospes.

Post tres sæpè dies vilescit piscis, & hospes,
Non maneas noctu, nec simul atque diu.

Vinum.

Qui bona vina bibunt, subtilia Carmina scribunt,
Non florent Musæ, si tibi dentur aquæ.

Prudentia humana.

Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem,
Fac ea, quæ moriens facta fuisse velis.

Relapsus in peccatum.

Itur in antiquam transactô Paschate Sylvam,
Quàm niger est factus, qui modò cygnus erat.

Mira-

Mirabilis, & rari prorsus artificii Anagrammatismus, ex Antiphona; Alma Redemptoris Mater &c. concinnatus. Programma est materia subjecta Anagrammatis, in Persona Ecclesiæ 6. Versibus Hexametris comprehensa. Responsum est in persona B. Virginis ad Ecclesiæ orationem accommodatum.

Ne metuas, quamvis cursu pernice procellæ
Nutat, & irrugit spumosâ navis in undâ:
Teque, tuamque ratem placatô sidere ducam.
Clarum lucis iter curres, cita prora volabit;
Errorem pelagi retegam, miserebor egeni,
Euge meos portus intra; sum ripa salutis.

A.	b.	c.	d.	e.	g.	i.	l.	m.	n.	o.	p.	q.	r.	s.	t.	v.
21.	2.	9.	3.	27.	5.	17.	8.	12.	8.	9.	8.	3.	22.	15.	16.	22.

Abel, & Cain sacrificaturi.

Sacrum pingue dabo, nec macrum sacrificabo,
Sacrificabo macrum, nec dabo pingue sacrum.

In quo Hexametrum in Pentametrum migrat.

Echo per alterationem eleganter affingitur.

De
Amore JESU.

O! Amor! ô JESU! quoties clamatur, ***amatur,***
Hic mea morte suâ crimina demit! ***emit,***
O! Amor! ô JESU! tecum volo vivere, ***Verè.***
JESUS Amor nunquàm corde recedat, ***edat,***

Tota

Tota pulchra es amica mea.

Sunt pulchræ gemmæ, volucres, elementa, metalla,
  Sunt pulchræ frondes, pulchraque signa poli.
Pulchrior es gemmis, elementis, atque metallis,
  Pulchrior es volucri, fronde, notisque poli.
Sunt pulchræ violæ, narcissus pulcher, oliva
  Pulchra est, & vernô tempore pulchra rosa.
Pulchrior es violis, & floribus omnibus unus,
  Cætera prætereo, noscitur ungue Leo.
Cur tot in exiguo concludis corpore pulchra?
  Fallor, in exiguo pectore pulchra tenes.
Ergo tot exiguô cur claudis pectore pulchra?
  Cur, quod mundus habet pulchrius, unus habes?
Res manifesta satis, sequeris mirabile Numen,
  Si causæ similis, quomodo turpis eris?

Ad teneros divinæ Poëseos Tyrones.

Utere me, Juvenis, non segniùs utere, quosque
  Sive velis versus pangere, sive jocos.
Non renues, Tyro, tenerum componere versum,
  Dum tibi subjiciet carmina ferus amor.
Si tibi lustranti versus fortè ingruat error,
  Dicito, commune est, error ubique manet.
Sunt ipsis aquilis nævi, vermesque columbis,
  Scilicet est oleæ putris amurca bonæ.
Menda insunt rebus, mirùm si versibus insint;
  Exeat orbe, pati qui mala menda nequit.

Carminibus Ovidius ab ineunte ætate deditus fuit.

Tum mihi jam puero cælestia sacra placebant,
  Inque suum furtim Musa trahebat opus.
Sponte suâ carmen numeros veniebat ad aptos,
  Et quod tentabam scribere, Versus erat.

Docere quilibet audet ea, quæ benè didicit.

Navita de ventis, dè tauris narrat arator,
Enumerat miles vulnera, paſtor oves.

De Dionyſii Tyranni fine.

Ille Syracuſiâ modò formidatus in urbe,
Vix humili duram repulit arte famem.
Vilia qui quondam miſeris alimenta negârat,
Nunc mendicatô paſcitur ille cibô.

Forma bonum fragile eſt.

Non ſemper violæ, non ſemper lilia florent,
Et riget amiſsâ ſpina relicta roſâ.
Et tibi jam venient cani, formoſe, capilli,
Jam venient rugæ, quæ tibi corpus arent.

Forma vitiô perit.

Vinô forma perit, vinô corrumpitur ætas,
Vinô ſæpè ſuum neſcit amica virum.

Fortuna non eſt conſtans.

Paſſibus ambiguis fortuna volubilis errat,
Et manet in nullo certa, tenaxque loco.
Sed modò læta manet, vultus modò ſumit acerbos,
Et tantùm conſtans in levitate ſuâ eſt.

Ignavia admodùm nocet.

Cernis, ut ignavum corrumpant otia corpus,
Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ.
Ad poſſeſſa venis, præreptaque gaudia ſerus,
Spes tua lenta fuit, quod petis; alter habet.

Labo-

Laboribus vacandum est, dum anni, viresque sinunt.

Dum vires, anniq́ue sinunt, tolerate labores,
Jam veniet tacitô curva senecta pede.
Aut mare navigiis, aut vomere scindite terram,
Aut fera belligeras addite in arma manus.

Coclitis factum in marinâ tempestate.

Jecerunt nautæ pretiosi stamina panni,
Atq́ue aliud, si quod navis habebat onus.
Tum raptam uxorem projecit in æquora Cocles:
Nullum est, hâc gravius conjuge, dixit, onus.

Ad S. Paulum Eremitam foliis palmæ vestitum.

Totum te palmis vestiri, Paule, necesse est:
Namq́ue tui totô corpore victor eras.

Sacer Dialecticus, D. Franciscus.

Solvere cùm nequeat perversa sophismata mundi,
Franciscus saccô clauditur ipse suô.

In Attalum militem.

Miles es, & malus es; bonus es tamen, Attale, miles:
Miles enim, ut canis est: qui malus, ille bonus.

De Juda ad Christum.

Judas, Christe, tui fuit hic defensor ovilis:
Ex ovibus medium sustulit ille lupum.

B. V. flos campi. S. Aug.

Ite bonæ quò vultis apes, & fugite flores.
Flos nullus plus hâc Virgine mellis habet.

S. Igna-

S. Ignatius, & Xaverius juxta Sphæram Geometricam adpicti.

Europam tenuit Lojola, Xaverius Indos,
  Et duo ſub ſociis regna duobus erant.
Cur extra terram nunc ergo locantur utramque?
  Orbis uterque viro parvus utrique fuit.

De navicula Sancti Petri.

Niteris in caſſum Petri ſubmergere navem.
  Fluctuat: aſt nunquàm mergitur illa ratis.

Adverſitatis deſcriptio.

Littora quot conchas, quot amœna roſaria flores,
  Quotve ſopiferum grana papaver habet:
Sylva feras quot alit, quot piſcibus unda natatur,
  Et tenerum pennis aëra pulſat avis:
Tot premor adverſis, quæ ſi comprendere conor,
  Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Adulterium non committendum.

Nupta virum timeat, rata ſit cuſtodia nuptæ,
  Hoc decet, hoc leges, jusque, pudorque jubent.

Ætas ut roſa perit.

Collige virgo roſas, dum flos novus, & nova pubes,
  Et memor eſto, ævum ſic properare tuum.

Amici cum fortuna mutantur.

Cùm fortuna manet, vultum ſervatis amici,
  Cùm cecidit, turpi vertitis ora fugâ.

Amor

Amor carnalis resecandus.

Dum novus est, cæptò potiùs pugnemus amori;
  Flamma recens parvâ sparsa resedit aquâ.

Amantium scripta igni tradenda.

Scripta cave relegas, blandæ servata puellæ:
  Constantes animos scripta relecta movent.
Omnia pone feros, quamvis invitus, in ignes:
  Et dic, ardoris sit rogus iste mei.

Amor aurô conciliatur.

Aurea nunc verè sunt sæcula, plurimus aurô
  Venit honos, aurô conciliatur amor.
Ipse licèt venias Musis comitatus Homere,
  Si nihil attuleris, ibis Homere foras.

Animalia in hostes suos insurgunt.

Non solùm taurus ferit uncis cornibus hostem,
  Verùm etiam instanti læsa repugnat ovis.

Asperitas odium causat.

Dextera præcipuè capit indulgentia mentes:
  Asperitas odium, sævaque bella movet.
Odimus accipitrem, qui vivit semper in armis,
  Et pavidum solitos in pecus ire lupos.

Avaro divitiæ nihil prosunt, cùm eis uti nesciat.

Quid mihi fortunæ tantùm? quid regna sine usu?
  Quid nisi possedi dives avarus opes?
Sic aret mediis taciti vulgator in undis,
  Pomaque, quæ nullô tempore tangat, habet.

Bonâ voce præditus cantare debet.

Si vox eſt, canta, ſi mollia brachia, ſalta,
Et quácunque potes dote placere, place.

Carmina homines beant, ac mori vetant.

Carmine fit vivax virtus, expersque ſepulchri,
Notitiam feræ poſteritatis habet.
Scindentur veſtes, gemmæ frangentur, & aurum,
Carmina quam tribuent, fama perennis erit.

Crucifixus Chriſtus.

Suggeſtum Crux eſt: Doctor Crucifixus JESUS:
Hujus Doctoris lectio, ſummus amor.

Patientia.

A patiendo, ut opinor, habet patientia nomen:
Vix tamen eſt ullus, qui patitur patiens.

Barba virilis.

Barba ornamentum benè dicitur eſſe virile;
Ornat enim mentum barba cuique viro.

In Calvinum lilio injuſto notatum.

Candida habent Sancti; ſed tu nigra lilia: cur hoc?
Nam, Calvine, Poli ſanctus es alterius.

In Cæcilianum juvenem.

Si modò virtutum primo ſis cultor in ævo,
Vir tu tum fies, Cæciliane, bonus.

De barba, & capillis.

Cur barbâ citiùs ſoliti caneſcere crines?
Junior hæc etenim crinibus eſſe ſolet.

De Oratore excusante orationis suæ tenuitatem.

Auribus indigna est, inquit, mea dictio tantis;
Hêus bone! nos asini non sumus, alter ait.

In comatum Aulum.

Impexos veluti sylvam geris, Aule, capillos:
Fortè & sextipedes sylva alit ista feras.

Ad Gabianum Juristam.

Mentiris dicens: pacem te poscimus omnes:
Cùm sit lis hominum dos, Gabiane, tua.

In Attalum.

Attale falsus homo es; talem licèt antè negabam,
Attale salsus homo es, cur? quia multa bibis.

Pauper ad divitem Faustinum.

Nemo tuam, Faustine, potest numerare monetam;
Quin & nemo meam; jam sumus ergo pares.

In Rufum bibonem ægrotantem.

Sæpè propinatam expendisti, Rufe, salutem:
Hinc ego non miror; cur tibi nulla salus.

Tyranni.

Omnia formidant, formidanturque Tyranni,
Semper habet comitem vis metuenda metum.

Ad filium prodigum.

Sat *lætatus sum*, cecinisti, perdite fili:
Hinc meritò cantas nunc, *miserere mei.*

Ex

Ex Solis obtutu excæcatus.

Heu! miser in medio perdo mea lumina Sole,
Quique diem generat, surripit ille diem.

Crux Christi.

Crux Christum tulit ista, Crucem Christus tulit istam;
Pro nobis illum Crux tulit, ille Crucem.

Invidiæ Genealogia.

Invidiam virtus peperit, partamque tuetur,
Ex virtute unum nascitur hoc vitium.

In Labienum.

Sic, inquit, petitur cœlum; sic itur ad astra;
Ascendens furcam fur Labienus ait.

In avarum.

Ferrea cista auri custos tibi, ferrea porta,
Ferrea tota domus, ferreus & dominus.

Cui fidendum sit?

Fide, sed antè vide, cui tutò fidere possis,
Non homini tutum est fidere, fide DEO.

Rhetorica nova.

Qui caret argentô, frustrà utitur argumentô,
Qui dare scit, non qui dicere, Rhetor erit.

Mors.

Mors quid sit rogitas; si scîrem, mortuus essem:
Ad me, cùm fuero mortuus, ergo veni.

Spiritus Sanctus.

Ut semper veniunt ad candida tecta columbæ:
Sic petit & Sanctus candida corda DEUS.

In Ponticum Clientem.

Pontice Causidico nil porrigis; ista Chiragra est:
Ille pedem pro te non movet, hæc Podagra est.

Epitaphium Alexandri Magni.

Sufficit huic tumulus, cui non suffecerat orbis:
Res brevis huic ampla est, cui fuit ampla brevis.

Christus patiens, & S. Maria.

Martyrium Matris dependens in Cruce Christus;
Martyrium Christi sub Cruce Mater erat.

In Copernum tenebriönem.

Unquàm se peccâsse negat sub sole Copernus:
Esto, cùm totos dormiat ille dies.

Luna; Anagramma, ulna.

Quærit Normannus, quàm longus fortè sit annus?
Ulnas bis senas, si nil addas, neque demas.

In avarum.

Est tolerabilior quivis mendicus avarô:
Nam mendicus opem; sed petit alter opes.

Quinque vulnera Christi.

Pharmaca sunt potiùs, quàm vulnera, vulnera Christi:
Vulneribns curat vulnera nostra suis.

De vero Amico.

Qui mihi nec præstò est, nec quidquàm præstat Amicus,
Is præstans certè non mihi Amicus erit.

In Causidicos.

Causidicos rectè soleo conferre caballis,
Quéis mea si subdam munera, calcar erunt.

Tres haustus faciendi.

Præteritam primus, præsentem proximus haustus,
Venturam extinguat tertius iste sitim.

De Amico absente.

Uror amore mei, quamvis procul absit, amici:
Nempe etiam in distans ignis amoris agit.

Ad Celerinum.

Qui dedit ingratis, dedit is sua munera gratìs:
Qui gratis, gratìs nil, Celerine, dedit.

In Archipoëtam potatorem.

Archipoëta facit versus præ mille Poëtis;
Et præ mille aliis Archipoëta bibit.

Virginitas oculos continens.

Lilia, nix, cygni, quamvis candore triumphent,
Plùs ego candorem Virginitatis amo.
Disgregat illorum candor, sed congregat hujus:
Distrahit ille oculos; colligit iste meos.

In pauperem superbum.

Esse domo natum dicis te, pauper, equestri:
Sed stabulum domus hæc forsan equestris erat.

De Christo nato ad Pastores.

Primi Pastores natum cognôstis JESUM:
Cur? quia Pastores vos, Puer agnus erat.

Medica S. Petri umbra.

Quid tua lux possit, didici te, Petre, Magistrô,
Quando fugat morbos corporis umbra tui.

Epitaphium Danielis, rigidæ disciplinæ Episcopi, à Clero positum.

Daniel Antistes, non curat Clerus, ubi stes:
Optans, ut valeas; dummodò non redeas.

De beato Aloysio.

Castum stellatis corpus calcaribus urget:
O quantum cœli gloria calcar habet!

In Linum Juristam.

Nemo te causas lucrari jure negabit:
Cùm perdis causas, Line, lucraris opes.

In Blondum, judicibus auro corruptis, libertati restitutum.

Aurea libertas, unquam si quæ fuit, hæc est,
Aurea quam peperit, Blonde, moneta tibi.

Crucifixum S. Xaverio cancer refert.

Ne mirare, Crucem referat quòd cancer ab undis;
Qui retrò graditur, non amat ille Crucem.

Me-

Memento homo, quia pulvis es. &c.

Ibimus in cineres, quot quot sumus, ibimus omnes;
Omnibus in cœlum pulverulenta via est.

Ænigma. Senectus.

Me metuunt omnes, & me nihilominus omnes
Mortales optant, quot quot hic orbis habet.

Mulier marito imperans.

Ducit, agit miserum, quò vult Quintina maritum;
Grammatici fugite hinc; hæc vir, & hic mulier.

Ænigma. Cain.

Quis duro sitiens humano corde cruorem?
Quartæ hominum partis lucis ademptor erat.

Lepor, & Lepus.

Assum num meliùs leporem, an gustare lepórem?
Frigidus hic si sit, nil valet; ille valet.

In Lutherum.

Quidnam respondes Christo, Martine, vocanti;
Uxorem duxi: non possum, Christe, venire.

Homines Græcæ fidei.

Quæ sit in orbe fides latissima sæpè requiris?
Græca hodie toto regnat in orbe fides.

Carmina retrograda.

Signa, te signa, temerè me tangis & angis:
Roma tibi subitò motibus ibit amor.
Otto tenet mappam madidam, madidam tenet Otto;
Anna tenet mappam madidam, madidam tenet Anna.

De loquacibus fœminis.

Quando conveniunt Catharina, Camilla, Sybilla,
Sermonem faciunt & ab hoc, & ab hac, & ab illa.

* * *

Durabit virtus bellis in fæcla triumphis,
Et jus non nervos, almaque rura regat.

Litteræ initiales hujus distichi monstrant hæc Vocabula in Germanico idiomate. Tu es Stultus.

A Jejunio excusantur.

Æger, inops, infans, prægnans, vetus, atque laborans,
Ex his si fueris, non jejunare teneris.

Ad Flaccum Concionatorem.

Quis neget orando populum te, Flacce, movere?
Orantem quando concio tota fugit.

De Ursis polaribus.

Utraque non oritur cœlo, non occidit Ursa,
Semper conspicui volvitur orbe poli.

De Venere, & vino.

Nec Veneris, nec tu vini capiaris amore:
Unô namque modô Vina, Venusque nocent.
Ut Venus enervat vires, sic copia Bacchi:
Et tentat gressus, debilitatque pedes.

De abstinentia in mensa.

Vis, facilis lætos ut eat tibi vita per annos,
Nec pessùm sensus, ingeniumque ruant;
Sint odiosa tibi fallacis dona Lyæi,
Non secùs ac tetri dæmonis insidiæ.

De

De commiſſo peccato carnali.

Poſt riſum, viſum, poſt viſum venit ad uſum,
Poſt uſum, factum, poſt factum pœnitet actum.

Septem artes liberales, & mechanicæ.

Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Aſtra;
Rus, Nemus, Arma, Rates, Vulnera, Lana, Faber.

De variabili hominis ſtatu.

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filô,
Et ſubito caſu, quæ valuêre, ruunt.

De ortu & occaſu hominis.

Sole oriente tui reditûs â morte memento,
Sis memor occasûs ſole cadente tui.

Cur minus fœminis ingenium?

Cur minor uxorum eſt, marium prudentia major?
Eva fuit coſtæ filia, non capitis.

Amo paſſivum, amor activum.

Quisquis amat, ſervit, dominatur, quisquis amatur,
Quisquis amat, patitur, quisquis amatur, agit.

Æqualitas mortis.

Flumina fluminibus diſtant, ſic nos quoque nobis,
Dum ſumus in vita nos, fluviique viâ.
Ingreſſis pelagus ſapor amnibus omnibus idem,
Mors omnes homines æquat, ut æquor aquas.

Æſculapius triſrons.

Intrantis Medici facies tres eſſe videntur
Ægrotanti, hominis, dæmonis, atque DEI.

Quòprimùm acceſſit Medicus, dixitque ſalutem;
En DEUS, aut cuſtos angelus, æger ait.
Cùm morbum medicina fugaverit, ecce homo, clamat!
Cùm poſcit Medicus præmia, vade Satan.

Ænigma duplex.

Dic mihi, quæ fuerit, matri quæ filia nupſit?
Cujus erat mater maſcula, nemo pater.

℞. *Eva, Adamus, DEUS.*

Anagramma uxor, Orcus, ucſor.

Inſatiabile par ſunt *orcus* & *uxor*: ait Rex,
Unius experiens, alteriusque ſciens.
Quisquis in uxorem cecidit, deſcendit in orcum,
Ritè inverſa ſonant *ucſor* & *orcus* idem.

Reſponſio uxoris.

Nuncupor *ucſor* ego, non ſim quaſi conjugis *orcus*,
Sed quia per totam ſedula *curſo* domum.
In muliere vir eſt, ut in orco Belzebub! ergo
Infernus ſi ſit fœmina, vir Satan eſt,

Tres Divæ.

Juno ſuperba, Venus meretrix, Virgo optima Pallas,
Eſt inter Divas rara Minerva duas.

Superbia vitæ.

Ex humili licèt ortus homo tellure tumeſcit,
Sic licèt ex nihilo nata tumeſcit humus.
Si homo, ſicut humus, ſupra ſe tollitur ipſum,
Monte ſuperbit humus, mente ſuperbit homo.

Sire-

Sirenum cantus.

Si rerum cupis incolumem ſervare ſalutem,
Sirenum cantus effuge, ſanus eris.

Amor cæcus.

Ebrietas & amor ſimiles, extinguit uterque
Corporis ebrietas lumina, mentis amor.

Mali in infernum ibunt.

Quidquid in orbe mali eſt, aliquando feretur in orcum,
Fertur en in centrum, quidquid in orbe grave eſt.

Anagramma ſalutare.

Opto tibi multam, nullam tibi poto ſalutem;
Eſt potior potâ ſicca ſalute ſalus.

Sol, & tempus.

Sol celer eſt, at ſole tamen velocior hora,
Hora ſtetit nunquam: ſol aliquando ſtetit.

Sanguis.

Sum crudus, vocor inde cruor: per corpora curro,
Velut & in venis ſanguis ut anguis eo.

Brevitas, Anagramma triplex.

Perſpicuâ brevitate nihil magis afficit aures,
In *verbis, ubi res* poſtulat, eſto *brevis.*

Parum, nihil, nimis, ſatis.

Pauper in orbe parum, mendicus nil habet usquam,
Dives habet nimium, quis, niſi nemo, ſatis.

Terra,

Terra, Anagrammata duo, Paradoxon.

Mobile non *errat* cœlum: ſtat terra, ſed errat,
Funditus in varias undique ſecta vias;
Errantûm pedibus calcabor, humillima tellus,
Vomere profundar, dumque ego terra *terar.*

Mors.

Humanum in terris nihil eſt, quod non ſit humandum,
Avolat hinc animus, cætera ſorbet humus.

Cœlum.

Numinis immenſi ſedes ampliſſima Cœlum,
Omnipotens Dominus, omnipotensque domus.

Dives.

Deterior fio, fieri dum ditior opto:
Major me fieri molior; haud melior.

Irus.

Qui mensâ excipitur, quique excipit, hoſpes uterque eſt,
Sum multorum hoſpes, nullius hoſpes ego.

In vituperatorem alterius.

Me flocci facis, atque pili, nauci, atque terunci,
Quanti te faciam, ſcire cupis? nihili.

Divitiæ.

Solus dis DEUS eſt, dites Dii, Numina nummi,
Cum plauſu loquitur Pluto, tacetque Plato.

S. T. Silentii nota.

Quid ſibi Romanum vult ST: ſileto, taceto;
S. monet, ut ſileas, T. jubet, ut taceas.

Con-

Conjux.

Apta Duci non est Uxor, non aptaque Regi,
Quæ duci non est apta, nec apta regi.

De somniis paradoxon.

Quæ mala sunt, bona sunt: mala, quæ bona somnia: quare?
Gaudeo, si mala sunt: si bona sunt, doleo.

Scala Aulicorum.

Nemo gradus nisi per plures ascendit in Aula,
Ad descendendum plus satis unus erit.

Ad Aulicum.

Audacem fortuna omnis, cibus omnis edacem
Adjuvat, esse aliquid si cupis, aude, & ede.

In Stupidum.

Extrà calvescunt alii, tu calvus es intrà,
Crinibus hi, cerebrô, tu Fabiane, cares.

Homo Pantophagus.

Non mare, non aër, non tellus, denique cuncta,
Sufficiunt nostræ vix elementa gulæ;
Si quod edunt homines, hominum substantia fiat,
Ut perhibent: homines qualia monstra sumus!

Amor conjugalis.

Plurimus in cœlis amor est, connubia nulla,
Connubia in terris plurima, nullus amor.

De Cœlo & Terra.

Terra oculos propè tota latet, patet undique cœlum,
Humani generis te, puto, terra pudet.

De vitiis & divitiis.

Nemo hominum vivit sine crimine, sive crumenâ,
Crimine rara suo plena crumena caret.

Facere & docere. Act. c. 1.

Nuda Sacerdotis docti benè credere inertem
Verba docent populum, vivere vita docet.
Ut decuit, docuit, qui re sua verba probavit.
Plus malè facta nocent, quàm benè facta docent.

Errorum plena omnia.

Ægrotant Medici, defraudant Jureperiti,
Descendunt multi in Tartara Theologi.

Contra omnes gentes.

Condidit in terris hominem DEUS unicus unum;
Factus homo multos fecit in orbe Deos.

In Ponticum sanum insanum.

Prospera te fecit fortuna, salusque superbum,
Cùm fueris æger, Pontice sanus eris.

Bacchi Apotheosis.

Vinum vera vetus promit: mysteria prodit;
Sicca latent hominum pectora, pota patent.

Ad Firmicum de 7. Planetis.

Sol aurum Astrologo est, argentum Cynthia: cuprum
Alma Venus, (Veneri patria Cyprus erat.)
Mercurius vivum argentum: Mars funebre ferrum:
Jupiter est stannum: plumbeus huic pater est.
Accipe de septem tibi Firmice quinque Planetas.
Sat mihi Sol solus, Luna sat una mihi.

Deca-

Decalogus & Symbolum.

Cur credenda mihi faciendis plura jubentur?
Non tam difficile eſt credere, quàm facere.

De DEO & Mundo.

Non eſt in mundo DEUS hoc: hic mundus in illo eſt,
Hoc ſumus in mundo nos, utinam inque DEO!

In Balduinum.

Edidit indignos in lucem luce libellos
Balduinus, dignos attamen igne libros.

Lectio Sacrorum.

Et latro, & cautus, præcingitur enſe viator,
Scripturam hæretici, Catholicique legunt.

Damnatus.

Triſtis & undecimo tua par fortuna Decembri,
Poſt lucem ſequitur nox tibi longa brevem.

Salvatus.

Undecimo Juni tua par ſors læta videtur,
Poſt noctem fulſit lux tibi longa brevem.

Paradoxum.

Deſcendat triſtem licèt Atheus omnis in orcum,
Nullus in inferno eſt Atheus, antè fuit.

In Gaurum.

Laudas Gaure nihil, reprehendis cuncta, videto,
Ne placeas nulli, dum tibi nemo placet.

In

In Studiosum tempore Scholæ ludentem.

Ut perdat, nemo ludit, quàm Stultus es ergo!
Qui ludendo tuas perdis amice Scholas.

Varia.

Ex cœli motu lucet divina potestas:
Quâlibet ex genesi noscitur esse DEUS.
Fœda Venus multos Inferni ad Tartara mittit:
In Stygio plures vortice Mammon habet.
Gutta cavat lapidem non vi, sed sæpè cadendo:
Sic homo fit doctus non vi, sed sæpè studendo.
Fœmina nulla bona est, quòd si bona contigit ulla,
Nescio, quo pacto, res mala facta bona est.
Ut tibi non malè sit, fuge quidquid in arbore crescit,
Servares vires, si rura frequenter obires,
Bacchus amet glaucum, victum quoque sumito paucum.
Fœmina sex Sathanæ, rosa fœtens, Scylla, Charybdis,
Semper prona rei, quæ prohibetur ei.
Italus, Hispanus, Gallus, Teutoque, Polonus,
Inconstans, constans, fidus, avarus, inops:
Mores, sermonem, promissum, lucra, superbum,
Commutat, servat, quærit, acervat, agit.
Non tot Mars gladiô domuit, nec pestis humavit,
Quot gula præcipites in sua damna rapit.
Num bona, num mala sis arbor, vis, nosse juventa?
Es bona, si fructus, optima poma, feras.
Assiduus quoties sanctæ crucis excubat usus,
Non caro, non Circe, styxve nocere potest.
Ah! alii terris redeunt nova monstra remotis:
Qui fuit antè agnus, jam redit ille lupus.
Quid tumido attollis te vana superbia fastu?
Deprime; major eris, quò minor esse studes.
Quàm bonus est socius magnorum causa bonorum:
Tam malus est nostri maxima causa mali.

Ne

Ne ſapias altùm, prima eſſeda quærere noli:
Qui jacet in terra, non habet, unde cadat.
In minimis crebrò latitat vis maxima rebus:
Certus, qui ſuevit ſpernere parva, ruet.
Ætheris ad celſas deſpera emergere ſedes,
In nihilo mergas te prior ipſe tuo.
Omnibus inferior qui quærit, & imus haberi,
Hunc cœli auſpiciis hora beata manet.'

Ænigmata.

Unum ſunt quatuor, duo ſunt tria, quattuor hæc ſunt,
Quattuor octo creant, octo creant quatuor.
Bis tria ſunt ſeptem, ſeptem tantummodò ſunt ſex,
Quinque creant ſeptem, ſex tria perficiunt.
Atq; novem ſunt quinq;,decem ſunt quinq; ; quid hoc eſt?
Atque novem adde decem, bis tibi quinque ferent.

Roma.

Omnia Romanæ cedant miracula terræ,
Natura hic poſuit, quidquid ubique fuit.

Alexander & Ariſtoteles.

Maximus hic Regum, doctiſſimus ille Sophorum,
Magnus Alexander, major Ariſtoteles.
Doctus Alexandrum meliorem reddidit ille,
Non hic majorem magnus Ariſtotelem.

In Thaidem.

O utinam vel bella minùs, bona vel magis eſſes!
Turpiùs eſt pulchrâ nam meretrice nihil.

In Martialem.

Dicere de rebus, perſonis parcere nôſti,
Sunt ſine felle tui, non ſine melle ſales.

Unio.

Unio divina eſt, diviſio dæmone natâ,
Unus enim DEUS eſt, dæmones innumeri.

Lapſus Adami.

Theologis animam ſubjecit lapſus Adami,
Et corpus Medicis, & bona Juridicis.

Mortificatio.

Mortuus ut vivas, vivus moriaris, oportet,
Aſſueſce ergo priùs, quàm moriare, mori.

De hominum intemperantia.

Qui fragilem longè cupimus producere vitam,
Luxuriâ vitæ cur breviamus iter?
Nolumus & volumus produci tempora vitæ,
Nolumus â nobis, malumus à Medicis.

Philautia.

Crimina qui cernunt aliorum, nec ſua cernunt,
Hi ſapiunt aliis, diſſipiuntque ſibi.

Vita Sanctorum.

Sanctorum vitas legere, & non vivere fruſtrà eſt,
Sanctorum vitas degite, non legite.

Laudationis multiplex effectus.

Fit melior laudando bonus, pejorque malignus,
Cautior aſtutus, ſimplicior ſtolidus.

Virtus.

Non eſt in verbis virtus: at rebus inhæret,
Res ſunt, non voces, ſpes, amor, atque fides.

Æqua-

Æquanimitas.

Seu mortis venit, ſeu necdum venerit horâ,
  Culpa eſt velle mori, culpaque nolle mori.

Voluntas.

Vis bonus eſſe? velis tantùm, fiesque volendo,
  Is tibi poſſe dabit, qui tibi velle dedit.

Multiloquium.

Sermones crebri morum ſunt ſigna malorum,
  Nam quid opus verbis eſt, ubi facta vides?

Eloquentia.

Facundus non eſt, qui multa, at qui benè dicit,
  Ut nec fæcundus, qui mala gignit, æger.

DEUS.

Nemo DEUM vidit, pauci audivêre loquentem,
  Hinc tam rara fides, at magè rarus amor.

Ad litigatores.

Si judex tibi ſurdus erit, deſertus abibis,
  Et fruſtrà amiſsâ lite diſertus eris.
Judicibus plùs, quàm juri, ſtuduiſſe juvabit,
  Hos tibi, quàm leges, conciliato priùs.

In Lutheranum jejunia rejicientem.

Inſtituêre Patres ideò jejunia noſtri,
  Ut caro Spiritui pareat, ille DEO.
Tu ſemper plenâ ſervas jejunia mensâ,
  Spiritus ut carni ſerviat, illa tibi.

Cessatio Miraculorum.

Abbreviata DEI (siquidem Miracula cessant)
Est manus? an potiùs nostra minuta fides?

Voluptas quæ bona.

Præsens præteritô juvat empta dolore voluptas,
Venturô præsens empta dolore nocet.

Domine adauge fidem nostram. Luc. 17.

Non augenda fides, potiùs minuenda videtur,
Vix cùm sint homines tot, quot in orbe fides.
Sortitur sibi quisque fidem, sibi quisque Magistrum,
Nunquam plus fidei, perfidiæque fuit.

In Epicureos.

Vita voluptatis brevis est, vitæque voluptas,
Qui pariter parvi pendit utramque, sapit.

In sudore vultus tui.

Mandere qui panem jubet in sudore diurnum,
Non dabit æternas absque labore dapes.

In tenacem clientem.

Miraris, clausæ quòd sint tibi judicis aures,
Cùm tua judicibus non sit aperta manus?

In litigiosum debitorem.

Quæ tua nequitia est, quod debes, non mihi solvis,
Solvis causidico, quæ tua stultitia est!

Epitaphium hominis.

Quis jacet hîc? nemo: vacuum sine nomine corpus
Hîc jacet; ex solo corpore non fit homo,

Neuter.

Pompejanus ero, ſi vicerit omnia magnus,
Omnia ſi Cæſar, Cæſarianus ero.

Filius terræ.

Cœlum ad nos ſpectat, cœlum ſpectemus oportet;
Nam DEUS aſtra dedit cœlo, oculosque tibi.
Vix tibi pars teretis terræ millena videtur,
Cœlum dimidiâ cernere parte licet.
Cur igitur cœlo terram ſtultiſſimè præfers?
Ut mos eſt, malum plùs patre forſan amas?

In quendam Grammatiſtam.

Grammaticus bonus es, nil præter grammata nôſti,
Scis præter literas nil, literatus homo es.

Animum dantis DEUS, non donum conſiderat.

Non quantum dederis, ſed quantâ mente dediſti,
Penſandum eſt, placat victima parva DEUM.

De veris gaudiis.

Una ſalus ſervire DEO eſt, hæc gaudia ſola
Vera putes, quorum gloria finis erit.

In Paraſitos.

Qui ſocius menſæ eſt, verum ne reris amicum,
Tolle epulas, noſces, quàm tibi fidus erat.

Contra tardantes benè operari.

Cras, inquis, faciam, conceſſaque labitur hora;
Fac hodie, fugit hæc, non reditura dies.

Bis dat, qui citò dat.

Munera des velox, corrumpunt tœdia donum,
In quo censendum est quid, nisi dantis amor?

Qui dat inopi, pauper non erit.

Qui benè divitias inopi donavit amico,
Hic omni felix tempore dives erit.

Senes boni jucundi; mali morosi.

Quæ caruit vitiis, dulcis solet esse senectus,
Contrà morosa est, quæ vitiosa fuit.

Unum librum utilius legere, quàm multos accumulare.

Egregios cumulare libros præclara supellex;
Ast unum utilùs volvere sæpè librum.

Ænigma chelis.

Cantat ovis, resonatque nemus, saltante caballo.

Æger à multis non curatur.

Nunquam, crede mihi, à morbo curabitur æger,
Si multis Medicis creditur una febris.

Amici divitum falsi.

Quem tibi divitiæ peperêre, est falsus amicus,
Argentum, non te, diligit ille tuum.

Ne te laudes.

Narrent de te alii: proprio sordescit in ore
Gloria: si taceas, plus tibi laudis erit.

Quæ

Quæ virginitati obſtent.

Qui vult virgineum caſtus ſervare pudorem,
  Otia devitet, fœmineosque choros.
Sæpe pudicitiam mulier formoſa propingua
  Eripuit caſtis, multaque damna dedit.

Vitandus caſtis puellæ cantus.

Tutiùs in ſilvis baſiliſcum audire frementem,
  Quàm dulces cantus, fœmineumque melos.

Tria mulieres à turpi cohibent.

Fœmina molle genus, turpes proclivis ad actus,
  Ni vir ſit cuſtos, ni pudor, atque metus.

Quis ſcit conſcriptum præſentem ſcandere verſum?
  Te te ro ro ma ma nu nu da â te te la la te te.

Amicus verus in re incerta cernitur.

Invenies multos, ſi res tibi floret, amicos.
  Si fueris pauper, nullus amicus erit.
Rebus in adverſis patientia vera probatur,
  Rebus in adverſis vera probanda fides.

Quales parentes, tales proles.

Sæpè patris mores imitatur filius infans,
  Qualis erat mater, filia talis erit.
Caſta refert caſtæ genitricis filia mores,
  Laſcivæ rarò filia caſta fuit.
Et verbô & factô parvis fit regula natis;
  Optima ſitque omni tempore norma pater.

Qui verum non audit, perit.

Deſperanda ſalus, qui verum audire recuſat,
  Inque ſuum præceps labitur exitium.

Possum, nolo, volo.

Quod volo, non possum, quod possum, nolo vicissim,
Tota hominis vita est, nil nisi, nolo, volo.

De Christo crucifixo.

Aut amor, aut furor est, qui te, mi Christe peremit;
Est amor, & furor est, hic meus, ille tuus.

Vita hominis.

Vita quid est hominis? spes, & formido futuri,
Hæc inter dubii vivimus, & morimur,

Ut gratus sis.

Temporibus nostris quicunque placere laborat,
Det, capiat, quærat, plurima, pauca, nihil.

Uxor.

Uxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritur? uxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona suo sit Prisce marito,
Non aliter fuerint fœmina, virque pares.

Anni Prognostica.

Cùm siccus fuerit, bona tempora denotat anni,
Martius, & frugum fertilitate beat.
Cùm calor, & pluviæ coëunt æstate frequentes,
Agricolæ tacitâ gaudia mente fovent.
Aspera si non sævit hyems in mense secundo,
Crede mihi, in Sancto Paschate frigus erit.

Adversitas amicos dispergit.

Dum mea puppis erat validâ fundata carinâ,
Qui mecum velles currere, primus eras.

Nunc

Nunc quia contraxit vultum fortuna, recedis,
Auxiliô postquàm scis opus esse tuô.
Ut cecidi, cunctique metu fugêre ruinam,
Versaque amicitiæ terga dedêre meæ.

Notæ hominis.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læsus,
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

Virtutis via ardua est.

Ardua molimur, sed nulla nisi ardua vincunt,
Difficilis nostrâ poscitur arte labor.

Vetita semper appetimus.

Nitimur in vetitum semper, cupimusque negata,
Sic interdictis imminet æger aquis.

Aliena propriis meliora censentur.

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Laus vera bonis post mortem obtingit.

Omnia post obitum fingit majora vetustas,
Majus ab exequiis nomen in ora venit.

Leges nihil prosunt, ubi pecunia regnat.

Quid faciant leges, ubi sola pecunia regnat?
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?

Imago Beatissimæ Deiparæ Mariæ.

Hanc dedit Angelicis Reginam mentibus æther,
Non tua, ni purâ mente nitebis, erit,

Casta placent DEO, & Superis.

Vos quoque abesse procul jubeo: discedat ab aris,
Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.
Casta placent Superis, purâ cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

Durissima consumuntur usu.

Ferreus assiduò consumitur annulus usu,
Interit assiduâ vomer aduncus humô.
Quid magis est durum saxo, quid mollius undâ!
Dura tamen molli saxa cavantur aquâ.

Vim vi repellere licet.

Judice me fraus est concessa repellere fraudem,
Armaque in armatos sumere jura sinunt.

Animalia devitant ea, quæ semel læserunt.

Terretur minimo pennæ stridore columba,
Unguibus accipiter saucia facta tuis.
Sæpè canem visum longè fugit agna, lupumque,
Credit, & ipsa suam nescia vitat opem.

Amor immoderata res est.

Errat, qui finem vesani quærit amoris,
Verus amor nullum novit habere modum.

DEUS misericors est.

Crede mihi, miseris cœlestia Numina parcunt,
Nec semper læsos, & sine fine premunt.
Si, quoties peccant homines, sua fulmina mittat
Jupiter, exiguo tempore inermis erit.
Nunc ubi detonuit, strepituque exterruit orbem,
Purum discussis aëra reddit aquis,

Forti viro omne solum patria est.

Omne solum forti patria est, ut piscibus æquor,
Ut volucri vacuô quidquid in orbe patet.

Fortuna.

Nempe dat, & quodcunque libet fortuna, rapitque,
Irus & est subitò, qui modò Cræsus erat.

Pietas vitæ.

Per niveos mores ad pulchros itur honores;
Si vitiis tabes, quid, rogo, laudis habes?
Sancta potest totum pietas compescere motum;
Cœlos si hæc placet, Numinis ira tacet.

Auxilium divinum petendum.

Cùm pavor infestat, cùm te mala cura molestat,
Si Numen quæris, spe recreatus eris.
Si procul â luctu pasci cupis ubere fructu,
Ad cœlum clama, fle, geme, Numen ama,
Effuge peccatum; commissum plange reatum;
Ut salvus fias, tunc dabit alma Trias,

Proximo succurrendum.

Adfer opem præstò, nullique injurius esto;
Si nullum lædes, fercla quietus edes.
In pretio est grandi generosa cupido juvandi,
Virtus ut sudet, quemque juvare studet.

Magnitudo excellentiæ divinæ.

Quisquis es, hunc mundum mirare, salumque profundum;
Dumque stupes cœlos, pange suäve melos,
Lunæ factorem cane, Titanisque Satorem,
Semper honoratus sit favor indè datus,

Gratia DEO pro victoria dicenda.

Si vincis gentem, domitóve in corpore mentem,
  Grates redde meo, qui dat ovare, DEO.
Absque hujus dextrâ citò vinceris intùs, & extrà,
  Ac facili cladis lubricitate cadis.
Ne quis ab infesto patiatur damna scelesto,
  Cautè vitet eum semper, ametque DEUM,

In persecutione in DEO sperandum.

Si tibi cor plangit, si te pavor hosticus angit,
  In Domino spera, spes erit hostis hera.
Hæc valet optato, discrimina tollere, fato,
  Et versam totam volvere sorte rotam.

Mala societas vitanda.

Qui socium quæris, socii ne sorde noteris,
  A peccante cave gente, piæque fave.
Peccatum est tabes, mala sunt consortia labes,
  Inquinat illa sinus, nec facit ista minùs.

Opem divinam contra hostem implorare oportet.

Si ferrum costis intentat barbarus hostis,
  Sint tibi scuta spei; stes in amore DEI.
Spes tibi languentem confortat cœlica mentem,
  Sed simul acta dole prava, Deumque cole.

Atheorum impietas.

En Atheum densâ septum caligine, pensa,
  Quàm mala damna ferat, turpeque dogma ferat.
Qualibus en morbis scateat nunc integer orbis:
  Fas ergo est plenas fletibus esse genas.

Inno-

Innocentia vitæ eſt via ad cœlum.

Eſt ſemper cœlum rectæ pietatis anhelum,
Tutus & huc trames, ſi bené Numen ames.
Verùm peccatis ſi laxas fræna citatis,
Feſtinas bigis nigra ſub antra Stygis.

Poſtponis cœleſtibus mundana.

Quis furor inſanis, poſtponere ſacra profanis?
Eſt Cypris ſputum, totaque terra lutum,
Quis decor â cœno, putrique eſt gloria fœno?
Tuque tamen quæris talia, ſicque peris.

Contemptus mundanorum.

Opplebit teter variis te luctibus æther,
Si malus ore latras, cordeque damna patras,
In res mundanas curas ne conjice vanas,
A cœlo donum pete, teneque bonum.

Gratiarum actio pro liberatione â periculis.

Si fuit inflictus, ſed nondum lethifer ictus,
Grates ſolve DEO, viveque fretus eo.
Exſpectat gratum genitoris gratia natum,
Res proli ingratæ ſunt ſine fruge datæ.

De machina cœli, & divinâ lege.

Machina cœleſtis ſatis eſt de Numine teſtis,
Satque docet legem diva tabella gregem.
Ergo, ſi ſpectas cœleſtia tecta, reflectas,
Ut, quâ luce cares, hanc citus inde pares.

Victoria ab hoſtibus.

Ornet ſe palmis victoria nobilis almis,
Hucque, ubi terra colet te, DEUS, illa volet.

Armis

Armis si puris, & cum fundamine juris,
Princeps bella gerat, digna trophæa ferat.

Amor pacis.

Pacem semper ama, non illicò prælia clama,
Non cum Bellona protinùs arma tona.
Nullis te tricis innoda; es gratus amicis,
Si mox componis jurgia rauca sonis.

Insignis DEI bonitas.

Dat DEUS hîc escas, vacuô ne ventre rigescas,
Ægrotesque macer corpore, veste lacer.
Ergo DEUM implora, quâcunque famelicus horâ,
Pascis membra cibis, grataque pocla bibis.

Innocentia, qua itur ad cælum.

Culpis claude fores, niveosque amplectere mores;
Solus ad alta piam candor it astra viam.
Ni tua cœlestis decoret præcordia vestis,
Non intras limen, quod sacer aptat hymen.

Liberatio à tribulatione, & peccatô.

Si te lingua ferit, si te manus hostica quærit,
Pœnæ ansam luge, flagitiumque fuge.
Qui nullum læsit, nullique malignus adhæsit,
Se videt ille sui proximi amore frui.

Laus probitatis.

Gaude, si es justus, nec flammâ Cypridis ustus;
Turpe nefas noli; fac sacra templa coli.
Vanum discursum fuge, mentem dirige sursùm,
Curas suffoca, sancta adeundo loca.

In

In periculis fidendum DEO.

Si te fata premunt, curæ ſi gaudia demunt,
In pietate loca ſpem, Superosque voca.
Sit tibi firma fides; ſic cuncta pericula rides,
Lætus ubique locus ſic erit, atque jocus.

Liberatio à malis.

Quòd ceſſet morbus, quòd non ſis pauper, & orbus,
Per Charites divas munus id eſſe ſcias.
Ergo DEO grates perſolve, ſacrosque Penates,
Ni vis invadi per mala, gnavus adi.

Implorat opem DEI.

Si te hoſtes angunt, jamque ipſa pericula tangunt,
Fauſtæ ſigna rei ſuſcipe ſcuta ſpei.
Spera, & ſi victus propè ſis, vel compede ſtrictus,
Gratia, quæ lenit, ſæpè petita venit.

Deploratio peccatorum.

Quàm DEUS eſt blandus, mitis, pius, æquus, amandus,
Parcit peccatis, ſint licèt atra ſatis.
Sed vult orari, lacrymisque in vota vocari,
Mira poteſt, plenis quæ fluit unda genis.

Magna malitia mundi.

Ut tibi ſit mundum cor, proſpice, quò ſit eundum;
Decipit omne genus blanda, ſalaxque Venus.
Decipiunt nummi, qui ſunt hoc tempore ſummi;
Ad faſtum pronos decipit altus honos.
In te terrenâ via non reperitur amæna,
Cœli ſint metæ, quas properando pete.

Confessio peccatorum.

Quid scelera occultas? quid noxas credis inultas,
Falleris: ante DEUM cor citò pande reum.
Ensem aliàs strictum vindex DEUS urget ad ictum,
In dolore jaces, dum malefacta taces.

Vanitas hujus vitæ.

Hoc super orbe fumus quasi tractus in aëra fumus;
Sed nihil est fumus; nos nihil ergo sumus.
Est caro nostra cinis; modò principium, modò finis;
Ut rosa verna perit, sic homo pulvis erit.

Commendatio famæ, & misericordiæ.

Ni vis festinam famæ accersire ruinam,
Sit sermo sanus; nec sit avara manus.
Affectu plenô promptum da munus egeno;
Labra modesta tene; sint sine fraude genæ.

Excitat animam, ut metum deponat.

O homo! cur mæres, si Christo fidus adhæres?
Si te nulla premit culpa, cor unde tremit?
Peccatum flendi causam parit, atque timendi;
Cætera nec fletum, nec meruêre metum.

A DEO in adversis non recedendum.

Si poteris, gaude, res est dignissima laude,
Claro animo fati tempora fusca pati;
Sed pariter specta, cœlestem ut passio recta
Lucem habeat; mala lux est aliàs tua crux.

Bonum parentum exemplum.

Ad teneras mentes attendant ritè parentes,
Exemplum mater det, regimenque pater.

Id trahit, hoc hæret, neque tunc ſtirps poſtera mœret,
  It gnati ad gnatum dogma ſalubre datum.

Divitiarum vanitas.

O dives! duram nutris in pectore curam;
  Quid tamen iſta facit, mors ubi tela jacit?
Nemo poteſt Parcas auri lenire per arcas,
  Intrant morte parem dives, inopsque larem.

Memoria judicii extremi.

Ne cœleſtis Herus tua judicet acta ſeverus,
  Nunc, memor illorum, mite require forum.
Si citharam tangis Jeſſæam, & crimina plangis,
  Non fore tunc, ſpera, judicis ora fera.

Rogatur pro remiſſione omnium criminum.

Ut cor mundetur, ſcelerumque â fœce lavetur,
  Frontis larga priùs flumina funde pius.
Is facilè exorat, qui coram Numine plorat:
  Per miſerere mei, tollitur ira DEI.
Poſt mortem æternum mea mens formidat Avernum,
  Si vitam rimor, provenit inde timor.
Ah cur peccavi! quid mundum immundus amavi!
  Sum, ſum, agnoſco, reus; tu mihi parce DEUS.
O Numen clemens! en quanto â tempore demens,
  In pœnis dego, ſum miſerandus ego.
Turpiter erravi, fateor, delicta patravi;
  Sed doleo; & ſpero, quòd modò ſalvus ero.

Alimenta vitæ moderanda.

Quid te potando delectas, atque vorando?
  Pocula, quæ epotas, cur ea verſa rotas?
Si laſciva Ceres, Bacchusque, Acherontis it hæres,
  Lurco! quorſum ibis, ſi finè fine bibis?

Qualitas rectarum precum.

Tempus ut impensum benè sit prece, collige sensum:
Quod mentem pravè distrahit, omne cave.
Si cor non orat, necquicquàm lingua laborat:
Ni stridore vaces, rectiùs ore taces.

Imploratio misericordiæ divinæ.

Peccator plora, si sis malè lapsus; & ora,
Ne veteri vadas calle, iterumque cadas.
Noxam ploratu tolles; liberque reatu,
Non Orci fœcem, non patiêre necem.

Mala Societas vitanda.

Quære tibi talem studii, mensæque Sodalem,
Cui nec turpe genus, nec sit amata Venus.
Cum vernâ, est vilis, si ludat gnatus herilis:
E sordente domo sordibus exit homo.

Felicitas stirpis Regiæ, & subditorum.

Causet honoratus Genitori gaudia Gnatus:
Pro vita Regis sint pia vota gregis.
Proles prudentûm sectetur dogma parentum:
Præclarè degat Rex, populumque regat.

Bellum injustum.

Absque bonâ causâ si gens bellare sit ausa,
Martis erunt finis tumba, rapina, cinis.
Væ tibi! si suades tot iniqua: ad Tartara vades,
Ut malè suasa locus puniat, atque focus.

Purus solus venit ad cœlestem beatitudinem.

Ire supra bellas si vis post funera Stellas,
Nulla sit hîc fœdis illita planta pedis.

Serva

Serva te purum; ſic poſthac crede futurum,
Ut ſupra aſtra mees, ac tua corda bees.

Patientia in adverſis.

Sis pius, & fortis contra molimina ſortis:
Quæ fers mente levi, ſunt abitura brevì.
Quid caput in durum cupias impingere murum?
Unum eſt, ſeu nolens, ſeu patiare volens.

Perverſus pœnâ condignâ afficitur.

Pare mandanti ſubmiſsâ mente Tonanti:
Servus es, & verum jure verêris Herum.
Lege DEI ſpretâ ſcelerum eſt menſura repleta,
Et, quæ non lenit ſe, Stygis ira venit.

Obedientia erga parentes.

Audi prudentes, venerare, timeq́ue parentes;
Non durus matri, non gravis eſto patri,
Sic vives, ſanos laturus vertice canos;
Gnatos namq́ue bonos longior ornat honos.

Horror extremi judicii.

Mentis habe curas; jam clangere in aure futuras
Seu ſtas, ſeu cubas, crede, timeq́ue tubas.
Temporis extremi formido, foriq́ue ſupremi,
Cordis mundatum præcipit eſſe ſtatum.

Hortatio ad vitam ſanctam.

Sis benè diſcretus, ſis absq́ue libidine lætus,
Sis humilis, prudens, juſtitiæq́ue ſtudens.
Sic terrâ clarus, cœloque probâbere charus,
Divitiis veris ſic opulentus eris,

Desolatio animæ.

Quid mundi plausu ? quid vani roboris ausu,
  Vitam extollo meam ? dum scio, qualis eam.
Vado gemens, possum nihil, areo, pulvis & os sum,
  Pectore ni verô sim pius, ecquid ero ?

Invidus homo.

Invidiâ livens breviori est tempore vivens ;
  Suevit ab hac lethi tristis origo peti.
Ergo rideri solet invidus, atque doleri,
  Quòd spîclo tali se necet ipse mali.

Pulchra caro pudica rarò.

Nunquàm fit bellum bellâ cum fronte duellum,
  Seu stas, sive cadis, quomodò tutus abis ?
Pulchræ ergò â Bertæ vultu mox lumina verte ;
  Pulchra fuit rarò visa pudica caro.

Sine pœnitentia cœlum occlusum.

Semper cœlestis manet arx occlusa scelestis ;
  Crimina ni ploras, ibis Homere foràs
Nec poteris lætæ per mortem accedere metæ,
  Si mala pro cœlis nulla subire velis.

Juventus ad virtutem animanda.

Disce puer mores, non sperne juventa labores,
  Sanguis quando calet, multa patrare valet,
Quod puer assuescit, senior dimittere nescit :
  Inveterata sapit, quod nova testa capit.

Peccatorum venia petenda.

Flere quid errorem differs homo ? fortè dolorem,
  Quò mors vexabit, lux hodierna dabit.

Utere

Utere momentis, quibus horam currere sentis:
 Est tibi vita brevis, transit ut aura levis.

Abominatio superbiæ.

Si spernis sperni, neque vis in culmine cerni,
 Tranquillus fies, & bona multa scies.
Causam mœroris crebram facit ardor honoris:
 Nil humilem tœdet; lætior ipse sedet.

Felicitas Stemmatis à pietate parentum.

Spectat viventûm proles exempla parentum:
 Berta viam matris currit, & Hanso patris,
Si vis ergò thoro jungi feliciter, oro,
 Aspice, quid mater, quid sit, agatque pater.

Fuga lusûs.

Quid chartæ lusum, quid scenæ diligis usum?
 Quid vis noxales commemorare sales?
Sperne theatra fori, non sit tibi lusus amori;
 Te cohibe â nugis; sic mala multa fugis.

Opera divinæ potentiæ.

Cœli structuram, telluris cerne figuram,
 Cerne, quid aura sonans, quidque sit æthra tonans,
Tot mirandorum Dominum venerare locorum,
 Menteque devotâ, quid velit ipse, nota.

Fuga libidinis.

Famâ vilescis, si castè vivere nescis:
 Laus, ubi monstratur vita pudica, datur.
Ni vetitum limen fugis, ac damnabile crimen,
 Quo contemnêris, fabula plebis eris.

Vanus corporis ornatus.

Quid crines fingis niger albos oraque pingis?
  Frontem rore lavas? & corpus odore gravas?
Est animô luscus, cui fragrat corpore muscus:
  Laudat sola parem fœmina stulta marem.

Tempus benè ordinandum.

Tempora, quêis oras, distingue, quibusque laboras;
  Horis namque vagis nil sapienter agis.
Ordine turbatô benè cedere pauca, putato;
  Ordo decet juvenes, & docet ordo senes.

Calamitas vitæ humanæ,

Hoc est consuetum, comitantur tristia lætum;
  Mors venit, atque dolor, dum modulatur olor.
Ergò, quibus gaudes, mediocriter otia laudes:
  Quâ stet firma quies, non datur ulla dies.

Post nubila Phœbus erit.

Quid metuis sævum Bellonæ motibus ævum?
  Nubila post Soles quid tenebrosa doles?
Linque suum Fatis cursum pro tempore natis:
  Flagitium, gnavè, tu modò turpe cave.

Omnes creaturæ laudent DEUM.

Cerne Polum, montes, mare, campos, flumina, fontes,
  Et variâ miros conditione viros.
Tot genios dantem, tot rerum dona creantem,
  Haud pigrè, aut vanè, nocte, dieque cane.

Carmina & Rhytmi.

De
Abstinentia in Cibo, & Potu.

Ex magnâ cænâ stomacho fit maxima pœna
 Ut sis nocte levis, sit tibi cæna brevis.
Pone gulæ metas, & erit tibi longior ætas,
 Esse cupis sanus, sit tibi parca manus.
Ut minùs ægrotes, cave, grandia pocula potes,
 Sanior esse potes, si cum moderamine potes.
Tristia jucundum sequitur jejunia Pascha,
 Quæ benè qui servat, posteà lætus erit.

De
Adversitate, & infortunio.

Non favet in terris tantùm fortuna cuiquam;
 Quin ferat & lætis tristia mista jocis.
Dulcia non meruit, qui non gustavit amara,
 Adversi prorsus qui tulit antè nihil.
Prospera Divinâ tibi sors est arte regenda,
 Adversum forti pectore vince malum.
Invideat si sors aliis, gaudere caveto,
 Disce sed alterius cautior esse malô.

De
Alea.

Qui nimis indulget, creditve affectibus ipsis,
 Hic vitæ regimen nescit habere suæ.
Ludens taxillis, bené respice, quid sit in illis,
Mors tua, sors tua, res tua, spes tua, pendet in illis.
Alea dat rixas, pugnam, perjuria, cædes,
 Adfert pauperiem, divitiasque fugat,

Jactus talorum nudam facit ære crumenam,
Et cum vestitu prodigit omne penu.

De
Amicitia.

Tempore felici multi numerantur amici,
Dum fortuna perit, nullus amicus erit.
Plures obscæno latitant in amore dolores,
Quàm flores verno tempore campus habet.
Candidus afflictis rebus spectatur amicus,
Noscitur adversis rebus amica fides.
Omnis amans metuit, qui vero est absque timore,
Non est sincerus, sed simulatus, amor.
Corpus, opes, animam, facto corrumpit eodem,
Cujus fœmineo pectus amore flagrat.

De
Asino.

Parisios stolidum si quis transmittit asellum,
Si fuit hic asinus, non ibi fiet equus.
Est mirum bellum, quòd asellus culpet asellum,
Prælia miscentur pluribus apta jocis.
Nullius est, nec erit sollertia tanta magistri,
Quæ queat efficere, ut fiat asellus equus.

De
Avaritia.

Nullâ ditari ratione potestis avari,
Vos faciunt inopes, quas cumulatis, opes.
Cætera quando senem miserum peccata relinquunt,
Quæ nunquàm sat habet, sola cupido viret.
Auri sacra fames, & amor sceleratus habendi,
Assolet in primis excruciare senes.

De
Audacia.

Egregium ille ſibi decus, & lucra ampla parabit,
Maxima qui lætâ mente perîcla ſubit.
Non raró mediis miſerè merguntur in undis,
Qui benè ſe ſolos poſſe natare putant.
Unda natatores ſolet abſorbere peritos,
Qui timet, in ripâ crura, manusque lavat.

De
Aula.

Donec alat canos, ſi quem tenet Aula tot annos,
Mercedem ſperet, quem canis æger habet.
Regum ſollicitâ quicunque ſeneſcit in Aulâ,
Aut fuit, aut ſemper poſtulat eſſe miſer.

De
Auxilio.

Nullius eſt, nec erit tantus diſcriminis angor,
Quin queat ipſe DEUS ferre rogatus opem.
Triſtis es? urgeris? nec habes ſolamen in orbe?
Protinus ad Chriſtum confuge, tutus eris.

De
Bello.

Fit lis ex minimis interdum maxima verbis,
Unica vox crebrò bella, necesque parit.
Eſt toga marte prior, calamus victricibus armis,
Major ab arte venit gloria, marte minor.

Calumnia.

Turpe putes dictis alienam inceſſere famam,
Crimina, quæ ſcieris, juſtiùs illa teges.

Adam, Samſonem, Loth, Davidem, Salomonem,
Fœmina decepit, quis modò tutus erit?

De

Correctione.

Quotquot amat DEUS, & ſuperæ quos deſtinat aulæ,
Hos lachrymis, morbis, verberibusque probat.
Filiolum genitor virgâ, quem negligit, odit;
Sed quem mater amat, cædere ſæpè ſolet.
Non amat hic puerum, qui raró corrigit illum
Curvetur truncus citò, ſi vis, creſcat ut uncus.
Qui cavet, impuro ne ſe vitio inquinet ullo,
Solus erit juſti dignus honore viri.
Verte tuas procul â ſpurcis ſermonibus aures,
Et quidquid viſu turpe, videre cave.

Cœlum.

Jejunes, eleemoſynas largire, precare,
Si cupis ætheræ tecta ſubire domûs.
Ne tantis angare tuo pro corpore curis,
Ut poſſis animæ non meminiſſe tuæ.
Sic lege divitias, ſic partis utere rebus,
Ut nunquàm æternis deſtituâre bonis.

Chriſtus.

Ne deſperetis vos, qui peccare ſoletis,
Exemploque pii vos reparate Petri.
Peccati reus es? Natum prece flecte Tonantis,
Nullius ut ſceleris te velit eſſe reum.
Si Chriſtum neſcis, nihil eſt, ſi cætera noſcis:
Si Chriſtum noſcis, nihil eſt, ſi cætera neſcis.
Aſper erit victus, labor aſper, & aſper amictus,
Aſpera cuncta tibi, ſi vis ſuper æthera ſcribi,

Cibus.

Cibus.

Lumina mandentis cogit lachrymare ſinapis,
 Diſſolvit capitis phlegma, venena fugat.
Poſt piſces nux ſit, poſt carnes caſeus adſit,
 Singula poſt ova pocula ſume nova.
Unica nux prodeſt, nocet altera, tertia mors eſt;
 Caſeus eſt ſanus, quem dat avara manus.
Poſt Pyra poſce merum, vel mortis ad oſtia Clerum.
Pondere caſeolus, panis levitate probatur.
Caſeus allatus convivis eſt malè gratus;
 Is ſiquidem veniens, nil ſupereſſe docet.

Confeſſio.

Sera nimis, non vera ſatis confeſſio habetur;
 Edita nam pœnæ dicitur eſſe metu.
Qui ſibi nil conſcit, ſecurâ mente quieſcit,
 Et dulces ſomnos carpere quisque poteſt.
Pectora quoquot habent turpis ſibi conſcia facti,
 Hoc aliis ſolùm ſemper in ore putant.

Conſilium.

Qui benè ſuadentûm monitis parere recuſat,
 Stultus, & indignus, qui moneatur, erit.
Conſiliô factum non pœnitet eſſe peractum,
 Conſilium factis rebus inane datur.
Sit mora conſiliis, nam ſi moderamine tractes,
 Proſunt: at nimiùm præcipitata nocent.
Offendit multùm, qui corrigit ad bona ſtultum,
 Cùm ſine conſilio res agat ille ſuas.

Conſolatio.

Rebus in adverſis hæc te ſolatia firment,
 Quòd mala multorum ſint graviora tuis.

Con-

Consuetudo.

Cui puer assuescit, major dimittere nescit:
A bove majori discit arare minor.
Esset si moris Mæchis præscindere nares,
Eheu quàm multi naribus absque forent!
Non erit illusus, qui sic facit, ut tenet usus:
Est dives verè, qui non plus gliscit habere.

Contentus.

Quis dives? qui sorte suâ contentus, & imâ est:
Quis pauper? nunquàm qui putat esse satis.

Credulitas.

Qui leviter credit, deceptus sæpè recedit:
Multa, repentinum credere, damna creat.

Culpa.

Conscia mens recti famæ mendacia ridet:
Sed nos in vitium credula turba sumus.

Cura.

Cura tuis nunquàm si desit rebus agendis,
Tandem digna tuo lucra labore feres.
Dat faustum rebus domini præsentia finem;
Si benè res factas expetit esse suas.
Quod te non tangit, cur te tam fortiter angit?
Cur, quæso, tibi sunt aliena negotia curæ?

Custodia.

Tutor huic bonus est, dum quem DEUS ipse tuetur,
Nil timet adversi, quem servat Rector Olympi.

Datio.

Datio.

Qui dare vult aliis, non debet dicere: vultis?
Sed dicat plenè: dulcis Amice tene.
Fle, ſi lætari: jejuna, ſi ſaturari:
Da, ſi ditari: ſervi, ſi vis dominari.

Damnum.

Ut nocuiſſe queat mens, eſt ſatis apta cuique,
Ut prodeſſe queat, nemo paratus erit.
Neſcit homo verè, quod habet, niſi ceſſet habere,
Res jam ſublata haud absque dolore liquet.

Debita.

Quisquis aves retinere diu tibi nomen honeſtum,
Sæpeque laudari, debita ſolve libens.
Præſtat habere parùm, nec quid debere cuiquam,
Quàm multa, & multis ære ſubeſſe viris.

Deſidia.

Qui nihil ingenio committit, at omnia libris,
Amiſſis, retinet nil miſer ille, libris.
Qui libris fidens memori nil corde recondit,
Noſcere cum libris perdit is omne ſuum.
Ut mala devites, ſemper fac otia vites,
Provenit & fructus, absque labore nihil.

Detractio.

Multi vix coram mutire ſodalibus audent,
Qui clam non ceſſant rodere dente bonos.
Si virtus mentem pulchris tibi dotibus ornet:
Ne cures, qualis, quisve habeâre malis.

DEUS.

Mente DEI leges noctesque, diesque revolves,
Si bona vita tibi, ſique beata placet.

Chriſti

Chriſti verba manent nullum peritura per ævum,
 Illicò mundanum diſperit omne decus.
Si tibi Chriſtus adeſt, tibi fiet aranea murus;
Si tibi Chriſtus abeſt, tibi murus aranea fiet.
Gratia Rectoris ſeſe diffundit Olympi,
 Quàm latè ætherius ſol videt omne ſolum.
Sive cibum capias, ſeu grandia pocula tractes,
 Usque decet Summi te meminiſſe DEI.
Duc me, nec ſine me per me, DEUS optime, duci;
 Nam duce me pereo, Te Duce fauſta gero.
Emicat ex ipſis divina potentia terris,
 Flos & amænus agri comprobat eſſe DEUM.

Dies.

Nulla dies ſine fruge abeat, neque tranſeat hora,
 Quin aliquid poſſis addidiciſſe boni.

Dignitas.

Si caput inſipidum mitram, geſtátve coronam,
 Maxima ridendi pluribus anſa datur.

Diſcipulus.

Diſcere ne pigeat, ſtudiô ſapientia creſcit,
 Diſcenti Sophiæ janua ſponte patet.
Et labor, & ſtudium doctos genuêre Magiſtros,
 His ſine conſequitur nemo Magiſterium.
Qui rogat, & retinet, repetitque, docetque Sodales,
 In ſtudiis laudem præripit ille ſuis.
Haurit aquam cribrô, qui diſcere vult ſine libro,
 Nil profecturis littora bobus arat.

Diſcordia.

Pugna frequens geminis uno ſuper oſſe moloſſis
 Semper erat, nec adhuc ſpes bona pacis adeſt.

Divi-

Divisio.

Divide sic, pars ut semper tibi maxima restet,
Qui sibimet nequam, cui bonus esse queat?
Non bonus est socius, qui devorat omnia solus,
Divide, si quid habes, ne videâre lupus.

Divitiæ.

Divitiæ curis animos ingentibus implent,
Insomnes noctes ducit avarus opum.
O dives, dives, non omni tempore vives,
Nunquid in orbe tibi vita perennis erit?
Da tua, dum tua sunt, post mortem tunc tua non sunt,
Nam tua post mortem sunt aliena tibi.
Dives opum volvit semper sub pectore curas,
Si tibi parva res est, est tibi magna quies.
Fermentat celebres numerosa pecunia mores,
Moribus antiquis non solet esse locus.
Nemo tam dives, qui inopis non indiget unquàm,
Seriùs, aut citiùs paupere dives eget.

Doctrina.

Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter,
Disce, dein alios, quæ tibi nota, doce.
Disce, doceque alios, sic tutè doceberis ipse,
Atque tuæ solitò certior artis eris.
Infelix, qui multa sapit, nescitque docere,
Infelix, qui pauca sapit, spernitque doceri.
Si studuisse velis, tria cautâ mente tenebis,
Sis humilis, castus, paucoque cibamine pastus,

Dolor.

Ille dolet, sua quem faciunt peccata dolere,
Non dolor hic, modò sit verus, inanis erit.

Domus.

Domus.

Sunt tria damna domûs, imber, mala fœmina, fumus;
  Quilibet eſt tuguri, rex, dominusque ſui.
Fac, ſint, quas habitas, ſemper ſine ſordibus ædes.
  Os, oculi, dentes, manè laventur aquâ.
Si ter pulſanti nullus patefecerit, ito,
  Nemo vel eſt, modò vel non libet eſſe domi.
Ædibus in propriis rex eſt quicunque vocandus,
  Ipſe meæ dicor jure Monarcha domûs.
Sint nitidæ veſtes, facies ſit lota, manusque,
  Pendeat à naſo non pituita tuo.

Dominium.

Sit piger ad pœnam Princeps, ad præmia velox,
  Et doleat, quoties cogitur eſſe ferox.
Heu nimiùm præceps ſtudia in contraria ferris!
  Mundo quisquis aves, atque placere DEO.
Dic, ſua cur dites firment habitacula portis,
  Ut ſua jejuno ventre culina vacet.
Deficit ambobus, qui vult ſervire duobus;
Ecquis, amabo, DEO pariter, mundoque placebit.

Dormitatio.

Plùs vigila ſemper, nec ſomno deditus eſto;
Septem horas dormiſſe ſat eſt, juvenique, ſenique.
Qui ſolet è lecto lucem ſpectare diei,
  Paupertate graves finiet ille dies.
Cum pare ſi debes, vel cum meliore jacere,
In qua parte thori velit ipſe recumbere quære.

Ebrietas.

Bacchus, & argentum mutant mores ſapientûm:
Ebrietas prodit, quod amat cor, ſive quod odit.

Poſt

Poſt vinum verba, poſt imbrem naſcitur herba,
Redditur ex hauſtò lingua diſerta mero.
Magna fluit meliùs vini poſt pocula ſermo;
Provenit â pluvia lætiùs ipſa ſeges,
Ebrius ultrò ſui reſerat penetralia cordis,
Et patitur tacitum corde latere nihil.

Eleemoſyna.

Non ſecùs extinguunt inopi data munera crimen,
Ac vires ignis ſimplicis humor aquæ.

Error.

Erroris primi cogit meminiſſe ſecundum;
Qui nunquàm dubitat, ſe ſtuduiſſe negat.
Tangitur haud certò ſemper ſcopus ipſe ſagittâ;
Pervigili curâ ſemper meditare futura.
Non benè perſpectò qui fine negotia tractant,
Pœnitet hos facti poſteà ſæpè ſui.

Exempla.

Exemplum nobis præbet formica laboris,
Grana ferens, ſolitum quæ vehit ore cibum.

Expenſæ.

Excavat ingentes auri, argentique crumenas,
Quotidie mensâ ſplendidiore frui.
Qui plùs expendit, quàm rerum ſumma rependit,
Non admiretur, ſi paupertate gravetur.
Quærere, lucrative nihil, conſumere multum,
Vicatim faciunt poſt rogitare cibum.

Facilitas.

De multis loquimur, quæ non acquirimus unquàm;
Dicere nam facile eſt, eſtque parare grave.

Facta mala, & bona.

Verbum laudatur, si factum tale sequatur:
Ex meritis vitæ dependet: Ite, Venite,
Forma, genus, mores, sapientia, res, & honores,
Morte cadunt, semper, quæ benè facta, manent.
Quod sibi quis fieri nolit, non inferat ulli,
Hoc facias, fieri quod cupis ipse tibi.

Fallacia.

Per fas, atque nefas rerum qui fallit egenum,
Auxilii compos non erit ille DEI.
Splendida fucatô qui fundit pectore verba,
Non melior fure est, sacrilegoque viro.
Si non vis falli, fugias consortia calvi:
Pelle sub agninâ latitat mens sæpè lupina.
Improbe mortalis, quamvis tua crimina celes.
Fallere cœlestem non potes ipse DEUM.
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps:
Ne credas isti, semel à quo læsus abîsti.

Fama.

Perdis opes, parvô potes has reparare labore,
Famam si perdas, posteà nullus eris.
Non pateant faciles vanis rumoribus aures,
Urbis per medium quod leve vulgus ait.
Fama repleta malis valoribus advolat alis:
Lætitiæ Præco serò venire solet.

Fames.

Non vult scire satur, quid jejunus patiatur,
Sentiret venter, si foret absque cibo.
Condimenta cibis quænam sunt optima quæso?
Sola fames epulis dat sapuisse suis.

Ante

Ante ſiligineum panem qui veſcitur albô,
Tandem non parvam ſufferet ille famem.

Favor.

Ex facili causâ dominus mutatur & aura:
Gratia Magnatûm neſcit habere ſtatum.

Felicitas.

Optimus hic hominum, nec eo felicior alter,
Quisquis ſolius captus amore DEI eſt.
Felix eſt civis, puri cui copia vini,
Et puri panis, carnis, piſcisque recentis.

Feſtum.

Quod Feſtis nétur, putreſcit, & interit omne,
Nec pannum præbent talia fila bonum.
Luce ſacrâ requieſcat humus, requieſcat aratrum,
Et grave ſuſpensô vomere ceſſet opus.
Luce ſacrâ rebus ſint cuncta operata ſacratis,
Hæc ſine fruge manent facta profana die.

Fides bona, & mala.

Qui leviter notis nimiùm confidit amicis,
Fallitur, & cordis dicitur eſſe levis.
Qui fidei violat ſanctiſſima jura ſodali,
Sæpè fidem falli ſentiet ille ſibi.
Lumina, fama, fides, ludibria ferre recuſant:
Virginitas quartum poſſet habere locum.

Filii, liberi.

Filius ut patri ſimilis: ſic filia matri:
Sæpè ſolet ſimilis filius eſſe patri.
Pro virtute pater vitio ſi deditus ipſe eſt,
Virtutis rarò gnatus amator erit.

Dum tener eſt natus, mores perdiſcat honeſtos,
  Tunc etenim facile eſt artibus ingenium.

Finis.

Optima laudantur cunctis exordia rerum,
  At bonus egregium finis honeſtat opus.
Verba quidem ſunt grata, magis tamen acta probantur
  Principium placet, in fine corona datur.
Prima ſatis fervent, medium tepet, ultima frigent;
Principium fervet, medium tepet, exitus àlget.

Flores.

Omnia ſunt mundi, quaſi bulla caduca, rotundi,
  In pratis ut flos, ſic cadit omnis honos.
Non laudo florem, qui nullum præbet odorem;
  Qui pingit florem, non pingit floris odorem.
Omne decus mundi flori confertur amœno;
  Nam ſubitò ſubitus caſus utrumque rapit.

Forma.

Inſpice te in ſpeculo, & bona ſi tibi forma videtur,
Moribus obſcœnis illam fœdare caveto.
Si tibi ſubtraxit vultûs natura decorem,
Ingeniô, ut formæ compenſes damna, labora,

Fortitudo.

Parva necat morſu ſpatioſum vipera taurum,
  A cane non magno ſæpè tenetur aper.
Non qui multa neci dederit vir corpora fortis
  Eſt, Sed fortunæ qui moderator erit.

Fortuna.

Felix tranquillam meruit qui ducere vitam,
  Et læto inſtabiles ducere fine dies.

Luxu-

Luxuriant animi rebus plerumque secundis,
Haud facile est æquâ commoda mente pati.
Res nobis relicta, modô facilive parata,
Et fortuna favens corda superba movent.
Passibus ambiguis cùm sors citò mobilis erret,
Hinc benè conveniens nomen adepta suum.
Nos quoque floruimus, sed flos fuit ille caducus,
Flammaque de stipulis nostra brevisque fuit.
Quis vetet, hunc lætè totam traducere vitam,
Flat cui pro votis aura secunda suis.

Fratres.

Si videas fratres inter se bella gerentes,
Neutri confer opem, sed eorum corrige mentem.
Frater dilectam ditem cupit esse sororem,
Dum nihil usque rei præbeat ille suæ.

Fructus.

Ni rastros patiatur humus, ni vinea falcem,
Agricolas nullâ fertilitate beant.
Fertilis assiduô si non renovetur aratrô,
Nil nisi cum spinis gramen habebit ager.
Si tibi, quod factum nolis, neque feceris ulli,
Charus Adamitis, charus erisque DEO.

Frustranea res.

Quid tibi, si gemmas omnes cumulâris & aurum,
Et tua tartareis mens crucietur aquis?
Stans mola, surda nola, sterilis vola, stans schola sola,
Quattuor hæc dominis non placuêre suis.
Impiger extremos currit mercator ad Indos,
Per mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes.

Furtum.

Accipit hic furis nunquàm delebile nomen,
Non sua cui libuit vel rapuisse semel.

Transversâ parvi pendentur ab arbore fures,
Magnos, ne pereant, ipsa crumena fovet.
Irretit muscas, transmittit aranea vespas;
Dat veniam corvis, vexat censura columbas.
Furtum reddatur, vel collum fune prematur,
Aut dentur stygiis membra voranda rogis.
Efficit insignem damnosa licentia furem,
Nemo cavet furem, quem tenet ipse domi.

Futura.

Disce, quid es, quid eris, memor esto, quòd morieris;
Quid sis, quidque futurus eris, fac mente volutes.
Sis homo præsentis fortis memor, atque futuræ,
Præsens vita brevis, postera perpes erit
Quid modò, quidve brevi sis, ô homo, disce futurus,
Ergò nil prodest, esse, fuisse, fore.

Garrulitas.

Quis ferat hos homines, quibus est innata libido,
Fundere continuos ore loquace sonos?
Turturis in morem, qui sunt sine fine loquaces,
Præmia, nempè odium, Garrulitatis habent.
Omnibus ut placeas, fac, sit tua lingua probata,
Tantùm audi, atque vide, garrulus esse cave.

Gaudium.

Interpone tuis interdum gaudia curis,
Læta decet lætis pascere corda jocis.
Quod caret alternâ requie, durabile non est,
Hæc reparat vires, fessaque membra levat.
Triste cor, ira frequens, mens raro gaudia quærens,
Hæc nimis abbreviant vitam, dum corpora macrant.

Gratia.

Gratia grata magis subita est, dilata molesta;
Quæ fieri properat, gratia grata magis.

Bis dat, qui citò dat, levis est sententia vulgi:
Gratiáque officio, quod mora tardat, abest.
Nil opus est, grates pro re solvantur ut emptâ,
De re, quæ vænit, gratia nulla venit.
Nitimur in vetitum, semper cupimusque negatum,
Sic interdictis imminet æger aquis.

Hæredes.

Hæredes lachrymas falsâ sub imagine fingunt,
Exhilerant intùs subdola corda bonis.

Homo.

Si benè noscet homo, quid sit, meditetur & illud;
Anne putas illi lætitiæ esse locum?
Quid sint, quid possint, memori si corde volutent
Orbiginæ, in luctum gaudia versa forent.
Ecquid homo? bullæ similis, quæ mergit in undis,
Quæ vix visa semel labitur, unde venit.

Honores.

Non nisi per curas magnos venamur honores,
Curarum vacuus cassus honore manet.
Hoc quod agis, sollerter agas, & habebis honores,
Consequitur nullum munus honoris iners.
Si laudis cupidus, sique es studiosus honoris,
Prosequitor meritâ laude, & honore senes.
Ecquid honos? onus est, & nil nisi sarcina quædam,
Quæ nullâ quemquam commoditate beat.
Summo nulla DEO, vigilanti nulla Magistro,
Nulla potest tradi gratia digna Patri.
Muneribus vas Bacche tuis quodcunque repletum,
Multùm & honoris habet, multùm & amicitiæ.

Hospitalitas.

Dum mea pera sonat, lætus nil denegat hospes,
Vult hilari potem pectore, vult ut edam.

 Jobus,

Jobus, Democritus, Cato sit bonus hospes, oportet,
Hospitis officio vel minùs aptus erit.
Hospitis in mensa vultum, non fercula pensa,
Nil tibi displiceat, sit modò velle bonum.
Caupone absque suo solus qui computat, illi
Calculus ad minimum bis faciendus erit.
Post tres sæpè dies sordescit piscis & hospes,
Ni sale conditus sit piscis, & hospes amicus.

Hostis.

Damna dat externô majora domesticus hostis,
Quippe tuæ quòd sit conscius ille rei.
Viribus imbelles hostes ne tempseris unquàm,
A cane non magno cùm teneatur aper.
Quis meritis unquàm celebravit laudibus hostem?
Os hostis raró loquitur bona non sibi charo.

Humilitas.

Præcipitem faciet ventosa superbia lapsum,
Nam premit instabiles lubrica Diva rotas.

Humana.

Quod breviter durat, quis prudens quærere curat?
Demptis humanis sapiens cœlestia quærit.
Tempus abit, totoque nihil durabile in orbe est,
Omnia paulatim, quæ valuêre, ruunt.

Jactantia.

Insipientis inest major jactantia menti;
Vas etenim plenô tinnit inane magis.
Semper inest stulto stolidæ jactantia mentis,
Grande latet quovis in sapiente Sophos.

Infamia.

Si ſapis, hunc turpi vehementiùs angue caveto,
  De quo plebs uno prædicat ore malum.
Omnibus exoſi longè conſortia vitæ,
  Si vitæ famam vis retinere bonæ.
Turpiter abſque omni faciens peccata pudore,
  Abſque omni vitam vivit honore ſuam.

Ignis.

Qui vult uſque ſuis bonus ut ſit in ædibus ignis,
  Admoveat primùm ligna minuta foco.
Optimus eſt ignis, tectis cùm ſtiria pendet,
  Deſuper in terram verſa cacumen habet.

Imperium.

Qui præceps nimis, & grave qui perferre recuſat,
  Imperio nunquam commodus ille fuit.
Longam tranquillè potis eſt traducere vitam,
  Qui nullum niſi ſe, quem moderetur, habet.
Imperitare valens, legesque imponere multis,
  Raro ſinceræ gaudia pacis habet.
Sceptra tenes? oculos adhibe, prudentia & adſit,
  Corrigat illa malos, & beet illa bonos.

Inæqualitas.

Mentem, animumque viri malim ſapientis habere,
  Regales inopis quàm rationis opes.
Sunt, quibus ex animi ſuccedunt omnia voto,
  Sunt, quibus eſt omni ſors inimica die.

Incertum.

Grus, quæ pennarum celeri ſecat aëra motu,
  Paſſere jam captô dicitur eſſe minor,

Plus certâ comprensa manu valet una volucris,
Innumeris, altè quas levis aura vehit.

Indoctus.

Quidquid Aristoteles subtili mente revolvit,
Clericus indoctus per verbum nescio solvit.
Quæstio difficilis non tam proponitur ulla;
Nescio per verbum stolidi quæsita refutant.
Quam non per verbum nescio solvat iners.
Qui docet indoctum, semet simul erudit ipsum.

Infernus.

Æternus sequitur præsentia gaudia mœror,
Stulte, ne deliciis credis utrisque frui.
Deliciis sacri magnis potietur Olympi,
Gaudia qui mundi deliciosa fugit.
Da requiem cunctis DEUS hîc & ubique sepultis:
A fervente rogô nos trahe, Christe, rogo.

Ingenium.

Ingeniis tardis præcepta tenaciùs hærent:
Nam citò quod fit, idem protinùs inde perit.

Ingratitudo.

Omninò pertusum ingratus homuncio vas est,
Quiquid in hoc fundis, perfluit, inde perit.
Sunt homines, humeris quos si quis portet ad urbem,
Gratia præteriti nulla laboris erit.

Injuria.

Pulvere qui lædit, sed læsus marmore scribit:
Qui fert, illa suo corde reposta tenet.
Vaniloquô quicunque aliis injurius ore est;
Credite dicenti vera, malignus homo est.

Læsus

Læſus ab injuſtâ ſi fortè vidébere causâ,
Ne tua lædendi poſtulet ira vices.

Innocentia.

Cùm rectè facias, odium contemne malorum;
Nam bona patranti nemo nocere poteſt.

Intentio.

Quidquid agant homines, intentio judicat omnes:
Quô facias animô; dicasve, intentio prodit.

Interrogatio.

Sæpiùs arcanum ſcrutábere nullius unquam:
Namque fit ingratus, qui ſine fine rogat.

Invidia.

Cor curis, tineis pannus conſumitur ipſis,
Solaque pernicies invidus ipſe ſibi.
Invidus alterius rebus macreſcit opimis:
Invidus, ut noceat, per ſua damna meat.
Ut validi flatu quatiunt altiſſima venti:
Infima ſic livor temnit, & alta petit.

Inutilitas.

Nummus agrô, tacito doctrina recondita corde,
Nil proſunt, latebris ſint niſi mota priùs.
Quid prodeſt noctesque diesque revolvere libros;
Si facienda fugis, ſi fugienda facis.
In mundo duo ſunt, quæ nil abſcondita proſunt:
Foſſus agro cenſus, latitans ſub pectore ſenſus.
Nil valet in bellis vir inermis, & absque libellis
Clericus eſt mutus, licèt ſit ingeniô acutus.

Ira.

Ira.

Ira nocet cordi, præbet fomenta furori:
Ira nocet vitæ, mortis acerba parens.
Multùm deliras, si cuivis porrigis iras:
Dixeris, hunc sanæ mentis habere parùm.
Irati verbis jus est quid inanius usquam:
Quippe quod in buccam venit, id omne vomit.
Res loquitur diras, cùm quis fervescit in iras:
Iraque trux cunctis est fugienda modis.

Iter.

Egrediens gressus longè si dirigis usquam,
Ne loculos educ, æs neque dinumera.
Sicut it, ire sinas: nam sic vult, sicut it, ire;
Sicut enim nunc it, semper sic ivit, & ibit.

Judicium.

Si fortuna tibi fasces largita sit amplos,
Non tua, commissi sed bona quære gregis.
Qui vult justitiam rectè exercere probatam,
Audiat is partem sedato pectore utrámque.
Percipe festinus, percepta edissere tardus,
Si vis ut judex constituâre bonus.
Judicis est recti, nec munere, nec prece flecti,
Judicis officiô fungitur usque boni.

Jus.

Lis, fac, si potes, ut tibi sit sub judice nunquàm;
Quippe quòd hæc loculos nudet & omne penu.
Dat Galenus opes, dat Justinianus honores:
Pauper Aristoteles cogitur ire pedes,
Optima caussa perit vitiô persæpè patroni,
Caussa patrociniis errat honesta malis.

Justitia.

Parcitur injustis multis ratione bonorum,
 Quos amat ipse DEUS, grex licèt exiguus.
Nulla tuos, nec te rerum cruciabit egestas;
 Rectum justitiæ si gradiaris iter.
Contentus propriis, alienis parcito rebus,
 Sit procul injustis crescere velle bonis.

Juventus.

Dilige virtutes primâ florente juventâ,
 In senio si vis, ut tibi detur honos.
Flore juventutis mentem virtutibus exple,
 Semper honoratus si cupis esse senex.
Non secus ac agri fœnum, floresque nitentes,
 Sic dictô citiùs pulchra juventa perit.
Forma juventutis, robur juvenile, vigorque,
 In nihilum, floris more nitentis, eunt.
Consiliis senium, bellis est apta juventus,
 Pugnæ adhibe juvenes, consiliisque senes.
Ne sine fruge finas tempus, vel abire juventam,
 Non eadem remeant, ùt periêre semel.
Tempus abit, rapidâ, pueri, properantiùs undâ,
 Tradite doctrinis otia cuncta bonis.
In senio quicunque cupis præclarus haberi,
 Fac juvenis studeas artibus usque bonis.
Quærere divitias debet juvenilior ætas,
 Nutriat unde graves cana senecta dies.
Ultima si queat, atque sciat, si firmior ætas,
 Essent humanæ res meliore loco.

Labor.

Pabula fac habeat sonipes, dum fessus anhelat,
 Namque suo vigil est digna catella cibo.

Assi-

Aſſidui ſemper vis eſt immenſa laboris,
Hunc adhibe, hôc ſolers utere, victor eris.
Aſpera, difficilisque adeò res nulla reperta,
Aſſiduo quæ non victà labore foret.
Te ſine te ditare DEUS, poſſetque tueri,
Ut tamen & præſtes, vult opus ipſe tuum.
Quem vires, anniquè ſinunt ſufferre laborem,
Hic tibi præcipuè ſuſcipiendus erit.
Artis origo labor, quem qui non ferre recuſat,
Præmia fert tandem digna labore ſuo.
Caſus ubique valet, ſemper tibi pendeat hamus,
Quò minimè credis, gurgite piſcis erit.
Absque labore nihil dignum reperitur honore,
Laudis cujusvis eſt labor ipſe pater.

Laus alicujus rei.

Qui ſeſe laudat, laudis ſe munere fraudat,
Laus vera alterius ſemper ab ore venit.
Sordeſcit propriis laus quælibet edita labris.
Sola, peregrino, quæ venit ore placet.
Sis virtute licèt multis præſtantior unus,
Non tamen illius te meminiſſe decet.

Lex.

Jus datur, ut toto pax conſervetur in orbe,
Tutaque per quasvis ambulet illa vias.
Legum edicta viris non ſunt metuenda probatis,
Illa vocant ſolos ſub ſua jura malos.
Ullius in mundo legis non indiget ille,
Cujus aperta nihil pectora fraudis habent.

Libertas.

Sorte ſuâ quicunque fruens aliena recuſat,
Non erit ullius ſubditus ille jugo.

Qui

Qui capit alterius cupidô munuſcula corde,
  Protinus hic juris deſinet eſſe ſui.
Optima libertas nulli vendatur ob aurum,
  Nec ſit is alterius, qui ſuus eſſe poteſt.

Libido.

Divés eram dudum, me fecerunt tria nudum,
  Alea, vina, Venus, tribus his ſum factus egenus.
Impletus venter vult luxurioſa libenter,
  Luxuriat rarò non benè paſta caro.
Subtrahe ligna foco, ſi vis extinguere flammam;
  Si carnis motus, otia, vina, dapes.

Lingua.

Qui nimiùm fatur, ſtultiſſimus eſſe probatur,
  Crede mihi, ſtultis annumerandus erit.
Ah miſeras nimiùm, quas garrulus incolit, ædes,
  Maxima pernicies garrula lingua domûs.
Nulla poteſt domibus pejor contingere peſtis,
  Quàm ſi futilibus poſſideantur heris.
Multa licèt multis gladii dent damna frequenter,
  Attamen una magis lingua nocere poteſt.
Antè, locuturus quidnam ſis, mente voluta,
  Præcurrat mentem ne tua lingua tuam.
Rebus in arcanis linguam compeſce ſigillô:
  Ne ferat in medium, quod tacuiſſe juvet.

Lis, & rixa.

Sunt duo, quæ lites varias, cædesque miniſtrant;
  Si neſcis, bis tres litteræ utrumque notant.
Non, ita, perturbant nullo non tempore mundum,
  Hæc inter homines bella cruenta cient.
Jacturam præſtat rerum perferre ſuarum,
  Quàm lites lanam propter habere capræ.

Jur-

Jurgia cum charo non exercébis amico:
Ne ſimul intereat conciliatus amor.

Loquacitas.

Nec nimiùm taceas, nec verba ſuperflua fundas:
Sed medium teneas, quo benè ſemper eas.
Quando loqui deceat, quando deceátque tacere,
Prudentem tacitâ mente notare decet.
Tempora præſtandis qui rebus idonea quærit,
Hic, dici ſapiens, cur mereatur, habet.
Eſt tempus fandi, ſtandi eſt, & tempus eundi:
Nunc dormire licet, nunc vigilare decet.
Nunquàm dilectos inter numerandus amicos,
Omnia qui profert corde repoſta ſuo.
Qui quæcunque ſui cordis ſecreta revelat,
Ut multis odio ſit, facit ore ſuo.
Os qui non claudit, quod non vult, ſæpius audit:
Garrula lingua nocet; ſed caro fricta dolet.
Ore tuo cave vel minimam depromere vocem,
Quam tecum tacitus non meditêre priùs.
Quando voles verbis alios mordere protervis,
Fœda tui cordis reſpice, mutus eris.
Rem, de quâ loqueris, digitô monſtrare caveto:
Non ad ovile vide, dum de ove verba facis.
Multum audi, multumque vide, non multa loquaris,
Si bona tranquillæ tempora pacis amas.

Lucrum.

Nulla Sacerdoti gravis eſt vehementia brumæ,
Dum ſibi plebs offert munus in æde ſacrâ.
Quale lucrum quisquis faſtidit quàmque puſillum,
Hic nunquàm largas accumulabit opes.
Immenſos nullus nummûm congeſſit acervos,
Quisquis neglexit lucra minuta priùs.

Con-

Continuos debes tu semper habere labores,
Non volat ad mensas assa columba tuas.

Lusus.

Cui lusus, mulierque placet mercabilis ære,
Dedecoris tandem labe notatus abit.

Lupus.

Quando lupum lupus est, ingens hunc urget egestas,
Quâ sine concordes sunt in amore lupi.
Cum grege si quisquàm versetur atroce luporum,
Hunc opus horrendis est ululare modis.
Si lupus abripiat, parvam comedatque bidentem,
Haud mirum, facit hoc, exstimulante fame.

Magister.

Qui spernit justi præcepta benigna Magistri,
Dignus is, ut factô verbera digna ferat.
Ecquid in hoc toto miserum magis orbe Magistro,
In Senium pueros qui docet usque suum.

Magnanimitas.

Parcit subjectis Herus, timidosque coërcet,
Invictumque animum more leonis habet.

Malitia.

Jam frater fratrem, jam fallit filia matrem;
Jam socius socium, jam fallit amicus amicum.
Nullus in orbe status fœdi modò criminis expers,
Exulat integritas, omnia plena malis.
Si duo concurrunt mala, nec spes ulla cavendi:
Elige quod minus est, effuge grande magis.
Qui bona cognoscit, nec eorum commoda sumit,
Se monstrat fatuum corde volente virum.

Pulſa ſolo virtus, manſit genus omne malorum:
Illius imperium quod facit eſſe ſuum.
Æternum meritò qui privat honore parentem,
Dignus is eſt, mala qui maxima quæque ferat.
Principiis obſta, ſerò medicina paratur;
Cùm mala per longas invaluêre moras.

Matrimonium.

Quæ tibi ducenda eſt, habeat P. quinque puella,
Sit Pia, ſit Prudens, Pulchra, Pudica, Potens.
Non benè inæquales veniunt ad aratra juvenci;
Siqua voles aptè nubere, nube pari.

Medicina.

Menſibus his tribus eſt facienda inciſio venæ,
Majo, Septembri, ternus Aprilis erit.
Si vis, ut tibi contingat curatio, prodas,
Eſt opus, ut Medico, quo teneare, malum.
Qui medicam tenet, exercetque fideliter artem,
Pluribus eſt aliis dignior ille viris.
Si tu ſanari cupias medicantis opellâ,
Sint tua ſecretis vulnera nuda locis.
Hæc tria, ſi Medici deſint, medicamina præſtent,
Libera mens curis, fercula parva, quies.

Mediocritas.

Immoderatus honos meritos obſcurat honores,
Felix qui medium tangit, & usque tenet.

Mendacium.

Dicere qui minimè nunquàm ſibi viſa veretur,
Auditúmve prius, mira referre poteſt.
Credere mendaci, quamvis per Numina juret,
Nemo cupit, non, ſi dicere vera velit.

Inſon-

Insontes vanæ rident mendacia famæ:
Conscia mens recti crimine tutus erit.

Mensa.

Quisquis amat dictis absentûm rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.
Post pisces nux sit, post carnes caseus adsit;
Piscibus expletus poscit habere nuces.
Sal facit, ut sapiant alimenta, fugatque venenum,
Omnis mensa malè ponitur absque sale.
Mensa tibi cubitum nunquàm sustentet edenti,
Appositos recto corpore sume cibos.
Semper abundantes pariunt fastidia mensæ:
Convenit in mensa te meminisse DEI.
Cùm sis in mensa, primùm de paupere pensa,
Ante fores stantis pauperis esto memor.
Qui faciendo moram prandendi negligit horam,
Aut sedet, aut certè, non, ut oportet, edet.
Quando deest panis, tunc est cibus omnis inanis:
Deteriùs verò ponitur absque mero.

Memoria.

Ante tuos oculos cœlestis gaudia vitæ,
Principiumque tuum, juraque mortis habe.
Disce, & quæ discis, memori sub pectore conde,
Aut facies tantundem, ac si cribrô hauseris undam.

Mercator.

Si quis venales pluris res æstimat æquô,
Offer dimidiô, ne capiâre, minus.
Si vis mercari, propriæ confide crumenæ;
Mercibus absque domum sæpè redire soles.

Meretrix.

Quid facies, facies Veneris cùm veneris ante?
Ne sedeas, sed eas, ne pereas per eas.
Cede, Venus cedit: si stas, Venus improba lædit;
Si fugias Veneris prælia, tutus eris.
Dicere se potis est iter absolvisse molestum,
Fœmineo quisquis liber it absque jugo,
Ædificat raras sibi vir meretricius ædes;
Nudat enim loculos luxuriosus amor.
Qui sua lascivis perdit patrimonia scortis,
Supra stramineum post cubat ille thorum.

Metus.

Funera qui nimiùm cunctis subeunda veretur,
In terris vitæ gaudia rara capit.
Exiguâ fossâ claudentur pellis, & ossa;
Tali namque domô clauditur omnis homo.

Militia.

Frangit, & attollit vires in milite caussa;
Quæ nisi justa subest, excutit arma pudor,
Si quis eques sua se oblitum calcaria dicat,
In grege stultorum constituendus erit.

Miseria.

Dulciùs est miseris alienis vivere terris,
Quàm notos inter, finitimosque propè.
Dæmon languebat, Monachus bonus esse volebat:
Sed dum convaluit, mansit ut antè fuit.

Moderatio.

Displicet immodicum, dantur mediocria laudi,
Mel nimium non mel, fel magis esse putes.

Si ſumptus cenſum, reditûſque impendia vincant,
Lætitiam luctus, vitaque claudet inops.
Non unquàm deerit, quantum natura requirit;
Si vitam ratio dirigat, atque modus.
Poſſidet hic multum, bona qui ſibi pauca requirit,
In rebus medium poſſe tenere bonum.
Alme Parens inopem ne me ſine ducere vitam,
Neve dato largas, retia mentis, opes.

Mora.

Judicii extremam qui præſtolabitur horam,
Is fieri dominus ſolus in orbe queat.
Divitis haud cuiquam pondus componitur auri,
Longa gravi niſi ſit juncta labore mora.
Factu quod tibi opus, longas ne differ in horas,
Qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit.
Vidi ego, quòd fuerat primò ſanabile vulnus,
Dilatum longæ damna tuliſſe moræ.

Morbus, Valetudo.

Magnis in morbis Medico promittitur orbis:
Exemptum morbô non numerare decet.
Hæc tria tabificam pellunt adverbia peſtem:
Mox, longè, tardè, cede, recede, redi.
Jejunes, vigiles, caleas, multùmque labores,
Sit modicè calidus, quem libet eſſe, cibus.
Indulgere cave cyathis, animamque coërce;
Si cupis ex cerebro reuma fugare tuo.
Tollere nodoſam neſcit medicina podagram:
Venit morbus eques, ſuevit abire pedes.
Caſeus, arborei fœtus, cum carne ſalita,
Sunt tria quæ ægrotis ſemper obeſſe ſolent.
Sanus eris, ſuetam ſi ſcis ſervare diætam:
Negligit imbelles, perimit mors improba fortes.

Mores hominum.

Ex verbis fatuus, pulsu cognoscitur olla;
  Noscitur ex propriis moribus omnis homo.
Integritas ollæ tinnitu noscitur ipso,
  Stulti quid sapiant, edita verba docent.
Denique quid quivis hominum sub pectore celet,
  Innati mores significare queunt.
Si fueris Romæ, Romano vivito more:
  Si fueris alibi, vivito sicut ibi.
Disce bonos mores, sic te comitantur honores;
  Si cupis eximio lætus honore frui.
Sive precêre DEUM, seu homines affêris honestos:
  Possideat vertex pilea nulla tuus.
In quoscunque locos mutatis sedibus ibis,
  Vive ibi communi more, probatus eris.
In templis humili profer de pectore voces;
  In campis animum semper habeto viri.

Mors.

Mœnia nulla trucem possunt avertere mortem,
  Illius telis invia nulla via est.
Mors mortis morti mortem nisi morte dedisset,
  Cœlorum nobis janua clausa foret.
Cur etenim timeam nulli parcentia fata?
  Cùm mea sit Christus gloria, vita, salus.
Mors rapit hinc omnes nullo discrimine doctos,
  Atque rudes, plebem, conspicuosque viros,
Omnes majores mors occupat, atque minores;
  Imperioque premit cuncta creata suo.
Ipse licèt vivat seros homo Nestoris annos,
  Attamen hanc vitam dicet abîsse brevî.
Quidquid agas, subeat mortis tibi semper imago,
  Et te mortalem conditione scias.
Mors tua, mors Christi, fraus mundi, gloria cœlî,
  Et dolor inferni sunt meditanda tibi.

Sis mortis memor, est hodie tibi vita superstes,
  Cras fortassis erit mors obeunda tibi.
Nudus maternâ puer es progressus ab alvo,
  Nudus, & in terram constituêris, opum.
Ah nimiùm celebris vulgi sententia vera est:
  Tristia jura necis nulla medela fugat.
Mors certa est, incerta dies, hora agnita nulli:
  Providus extremam quamlibet esse putes.

Mulier.

Fœmina præclusit nobis cœlestia regna;
  Fœmina supremas fecit habere domos.
Eva, Satan, Christus, vitam, peccata, salutem,
  Perdidit, induxit, reddidit, huîc sit honos.
Fœmina productis amicit sua corpora pannis;
  At curtis uti sensibus illa solet.
Hunc fatuum fateor, quem calceus urget & uxor,
  Quem premit & conjux, calceus atque suus.
Quæ nupsit pravo mulier generosa marito,
  Semper habet multis corda repleta malis.
Fœmina non potis est medio emendarier ullo;
  Namque parùm prosunt verbera, verba nihil.
Ranæ tres, & anus totidem, tres insuper aucæ,
  Possunt immensum voce replere forum.
Fit, desitque domus subitò cujusque supellex,
  Conjugis officio, plùs valet ære bona.
Moribus inprimis mulier decoratur honestis,
  His sit juncta, parùm, veraque lingua loquens.

Mel in ore, fel in corde.

Verba quidem dulcis loqueris mihi plurima mellis,
  Vipera corde tuo fellis amara latet.

Mundus.

Sincero quisquis Christi succensus amore est,
 Is sibi cum mundo nil cupit esse rei,
Hæc duo non animum possunt intrare sub unum,
 Vanus amor mundi, verus amorque DEI.
Incertæ, fragilique rei insipienter inhærent,
 Quotquot in hunc mundum spem posuêre suam.
Quò quis divitior vasti per climata mundi,
 Hoc magè plùs aliis inde dolenter abit.
Quisquis amat minùs hunc mundum, vel amatur ab illo,
 Hôc magis ille DEO semper amatus erit.
Spernere mundum, spernere nullum, spernere sese,
 Spernere se sperni, quattuor ista beant.

Munera.

Ecquis amore suo possit complectier illum,
 Munera qui gaudet prendere, nulla dare.
Munera qui spernat, non est in millibus unus;
 Dona feras, homines, conciliantque DEUM.
Munera, crede mihi, placant homines, Deumque;
 Placatur donis Juppiter ipse datis.
Qui citò dat, bis dat, qui tardat munera, nil dat,
 Par erit invito, det nisi dona citò.
Dicitur insipiens sua qui simul omnia donat:
 Qui prorsus nihil, hic fertur agrestis homo.
Si vis, ut placeant, vultu da dona sereno;
 Lætè donantem diligit ipse DEUS.
Vel tu redde vices, vel desine cuncta rogare;
 Dedecus est semper sumere, nilque dare.

Mutuum.

Alterutram si quando manum manus altera purgat,
 Utraque sublatâ sorde repentè nitet.
Dum das, frater es; at spurius, data quando requiris:
 Ergò cui præstes, callidus usque vide.

Mutua si dederis, germanus frater haberis;
Si repetas, totus vilis es, atque nothus,

Natura.

Fastus inest parvis, rara est sapientia longis,
Pallet amans, rufis vix adhibenda fides.
Si quis erit tandem venientibus improbus annis,
Pænè puer vitæ dat bona signa malæ.
Vina suum capiunt ipsâ de vite saporem,
Index nativi qui solet esse loci.
Urtica, ut primùm terris caput extulit, urit,
Esset, ni faceret, nomen inane suum.
Lanigero lupus ex cætu sua gaudia carpit,
Vulpes ex technis, fœmina laude sui.
Transvolet immensas anser licèt æquoris undas,
In reditu cantum, fecit ut antè, canet.
Psallerit ipse licèt multumque, diuque cucullus,
Attamen est melior vox sua facta nihil.
Ardua naturæ res est compescere vires,
Quæ simul invaluit, verbera nulla domant.

Nequam.

Quò quis nequior est, hôc fortunatior idem,
Nam fovet ignavos, sors inimica bonis.
Quò nequam pejor, tantò sors est sibi major.
Nequior est nequam, qui scit dignoscere nequam.

Nobilitas.

Est Procerum verè proсèrum corpus habere;
Quandoquidem magnos maxima quæque decent.
Nobilitas morum plùs ornat, quàm genitorum;
Externisque parùm nititur illa bonis.
Non imitans cupidè clarorum facta parentum,
Immeritò titulum nobilitatis habet.

Quattuor hæc animos fastu mortalibus implent,
Nobilitas generis, magnus acervus opum;
Deniqùe multarum perfecta scientia rerum,
Formaque quæ grato membra colore notet.
Dum fodiebat Adam, filum ducebat & Eva,
Ecquis mortales nobilis inter erat?
Si pater est Adam, cunctorum mater & Eva,
Cur non sunt homines nobilitate pares?
Non pater, & mater dant nobilitatis honorem,
Moribus & vitâ nobilitatur homo.
Vendicat immeritò sibi nobilitatis honorem,
Virtutis nullo quisquis amore flagrat.

Novitas.

Dum clypeus novus est, primis conclavibus hæret,
Post scamnum jacet, ut desiit esse novus.
Non rarò primo res fastiditur in usu,
Posteà quæ cunctis inveterata placet.

Nuntius.

Festinus nimiùm cave nuntius esse sinistræ,
Ingrataæque rei, grata repentè refer.

Nuces.

Ut nucleô vescâre, priùs disrumpe putamen,
Et fructum posthæc, qui latet intùs, ede.
Qui vult esse nucem, testas confringat, oportet;
Frange nucis tegmen, qui cupis esse nucem.

Objurgatio.

Quemnam castiges, etiam atque etiam aspice, verbis,
Crebrò, majorem corripuisse, nocet.
Huic etenim si quid dicas audire molestum,
Lædendi quæret protinus ille vicem.

Obli-

Oblivio.

Qui procul ex oculis, procul eſt à lumine cordis:
  Quantùm oculis, animò tam procul ibit amor.
Qui procul aſpectu, procul eſt & corde remotus,
  Namque videre rei commeminiſſe facit.
Me ſimul atque tuis oculis ſubduxero totum:
  Totus & ipſe tuo pectore pulſus ero.

Obſequium.

Obſequium præſtare tuum ſis cuique paratus,
  Invenies grates, qui ferat inde tibi.

Occaſio.

Si datur optatas tibi res occaſio habendi,
  Sumere ne dubites, non manet illa diu.

Onus.

Eſt leve, ſi longo portetur tempore, pondus,
  Laſſat portantis pondere terga ſuo.
Eſt grave ſemper onus cunctis miſeranda ſenectus,
  Quam non, quisquis avet, ſemper habere poteſt.

Otium.

Otia fac vites ſtudiis addictus honeſtis:
  Si benè vis vitæ conſuluiſſe tuæ.
Otia materiam vitiis, cauſasque miniſtrant,
  Et multis grandi ſæpè fuêre malo.
Otia quisquis amat, malè vel meditatur, agitve,
  Hæc præbent vitiis, dæmonibusque locum.
Ut mala devites, aliquid fac, otia vites:
  Nulli per ventos aſſa columba venit.
Otia ſi tollas periêre Cupidinis arcus,
  Contemptæque jacent, & ſine luce faces.

Pax,

Pax, & pactum.

Pax ablata diu, gemmas quæ vincis, & aurum,
Huc ades, & toto mitis in orbe mane.
Fœdere jam facto, nacta eſt contentio finem,
Pax hominem, pecudes bella cruenta decent.
Confirmata ſemel communi fœdera mente,
Præpediunt ultrà litibus eſſe locum.

Pœnitentia.

Ipſa perennis huic continget gloria vitæ,
Quem verè ſceleris pœnitet ante ſui.
Hos quisnam vidit ſeſe relevare vel unquam,
Caſibus haud ullis qui cecidêre priùs.

Panis.

Non vetus aut calidus præſtet tibi prandia panis,
Sit fermentatus, ſit pariterque levis.
Sit levis, atque recens panis, calor omnis abeſto,
cum fermento portio juncta ſalis.
Præcludit fauces durus, ſiccusque comeſtus,
Panis & obſcuros format in ore ſonos.

Parentes.

Neſtoris annoſi vivet feliciter annos,
Auctores vitæ qui reverenter amat,
Alter alit meliùs proles bis quinque parentum,
Quàm poſſint proles hunc aluiſſe decem.
Puſio qui renuit monitis parere parentum,
Carnifici præbet membra liganda ſenex.
Qui cupis eſſe ſenex, charos venerare parentes,
Quæ patri facies, filius illa tibi.

Parvum, modicum.

Cæditur ille veru nulla ob delicta frequenter,
  Qui nunquàm primis attigit aſſa labris.
Mox parvo magnos capies in flumine piſces,
  Quò minimè credis gurgite, piſcis erit.

Patientia.

Invicto meritam mentis fer robore pœnam,
  Non merita eſt ſolùm pœna dolenda tibi.
Pauper es? haud animum turbet tibi curta ſupellex,
  Qui dedit hanc, idem multiplicare poteſt.
Pauca tibi licèt ſit Rector largitus Olympi,
  Non tamen hoc ullo corda dolore premet.
Ferto, taceque, quoad melior fortuna ſequatur,
  Non eadem quâvis permanet illa die.
Multa miſer patitor, multumque, diuque taceto,
  Dum fortuna magis fiat amica tibi.
Nobile vincendi genus eſt patientia, vincit,
  Qui patitur, ſi vis vincere, diſce pati.
Qui nil ſuſtinuit teneræ ſub flore juventæ,
  Dum canos geſtat vertice, pauper erit.
Perfer, & obdura, vitæ patientia prodeſt,
  Omnibus antidotum proferet illa malis.

Patria.

Mus plerumque latet, quo primùm natus in antro,
  Et natale ſolum diligit ipſe lepus.
Sæpè locum lepus ipſe petit, quò repſerat antè,
  Nativosque colit muſculus ipſe lares.
Omne ſolum nobis patria eſt, ut piſcibus æquor,
  Et volucri vacuô quidquid in orbe vacat.
Si vis laudari, ſi visque Propheta vocari,
  Ex propriis oris ito, morare foris.
Magnus qui volet eſſe, ſolum natale relinquat,
  Civibus eſt gratus nemo Propheta ſuis.

Sd-

Scilicet eſt aliquid longinquas viſere terras,
Nomen ab extremo clarius orbe venit.
Detrahit optato præſentia ſemper honori,
Perpetuòque domi nemo placere poteſt.

Paupertas.

Nemo adeò pauper, rerum tam nullus egenus;
Quin citò ditetur, ſi velit ipſe DEUS.
Hic etenim ditat, ſummis & honoribus auget,
Deprimit hic idem, pauperieque gravat.
Multas ædificare domos, & paſcere multos,
Ipſa eſt ad ſummam ſemita pauperiem.
Qui paſcit multos, qui multas conſtruit ædes,
Rectâ ad egeſtatem tendit uterque viá.
Cùm tibi divitias dederit Rex unicus orbis,
His decet illius te celebrare decus.
Nomine ſub Chriſti promptus largire petenti;
Si nummi deſint, ne bona verba neges.
Pauperis ad vocem faciem avertiſſe caveto,
Da, quod habes, præſtes, quod tibi cunque licet;
Dextera pauperibus tua ſit propenſa juvandis:
Verbis argento deficiente juva.
Ante fores ſi quando tuas conſiſtit egenus;
Ante fores Chriſtum reberis eſſe tuas,
Nulli charus eris, ſi copia deficit æris;
Pauper ubique jacet, dum ſua burſa tacet.
Si ſis in mundo Paulo ſapientior ipſo,
Et pauper fueris, ſemper ineptus eris.
Indiga paupertas, cui vana ſuperbia juncta eſt,
Sæpè movet riſum, ſtultitiamque notat.
Ambitioſus inops populo ridetur ab omni,
Signaque ſtultitiæ dat manifeſta ſuæ.
Paupertatis onus quamvis ſit ferre moleſtum,
Ne tamen illius te puduiſſe velis.
Pauperis in vitâ quisquis miſerebitur iſtâ,
Is ſibi propitium ſentiet eſſe DEUM,

Quando

Quando cibos ſumes, inopis meditabere ſortes;
  Si vis ut Chriſtus ſit memor ipſe tui.
Dum dives loquitur, verbum Salomonis habetur;
Dum pauper loquitur, tunc barbarus eſſe videtur.
Si des dona libens, inopum ſuccenſus amore,
  Nunquàm pauperies ulla timenda tibi.

Peccatum.

Plectitur hac pœnâ vivens oblitus Olympi,
  Ut fiat moriens immemor ipſe ſui.
Qui malè conſulit, & malè qui conſentit egenti,
  Æquè dicuntur criminis eſſe rei.
Dignior eſt veniâ, erroris qui neſcius errat;
  Quàm ſi quis facinus turpe ſcienter agat.
Crimina quisquis agit, tremebundo pectore vivit:
Dupliciter peccat, qui ſe de crimine jactat.

Pecunia.

Quid mihi cùm perâ? cùm nulla moneta ſuperſit,
  In loculis nunquàm vult habitare meis.
Quisquis anum ducit, nummos quæſiſſe putandus,
  Non hic anum tantùm, quàm bona captat anûs.

Periculum.

Paupere nil magis elatum, dum factus opimus,
  Contemptique viri maxima damna creant.

Perpetuum.

Quæ res perpetua eſt? Virtus: quæ diſperit? aurum:
  Quare illi ſtudeas, hoc fuge, namque perit.
Omnia prætereunt præter bona facta piorum;
  Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.
Cuncta creata ſuos primos replicantur ad ortus,
  Efficiturque nihil, quod fuit antè nihil.

Peti-

Petitio.

Si quæcunque placent, cunctis ad vota venirent,
 Pastores gererent regia sceptra manu.

Pietas.

Regnat, non servit, famulus Rectoris Olympi,
 Hunc penes est virtus, perpetuamque decus.
Templa, sacerdotes, merito venerêris honore,
 Accedat per te majus utrisque decus.
Fac venerére pius templum, templique ministros;
 His decet, ut cumules, quod meruêre, decus.
Addecet inprimis simul ac sacra templa subîsti;
 Ni formet mores concio sacra tuos:
Ut contenta legas sacris oracula libris,
 Vel celebres, precibus, carminibusque DEUM.
Quo tibi cumque loco Christi cernetur imago,
 Quem signat, tacitâ mente precare DEUM.
Sæpè DEI fac mente memor benefacta revolvas,
 Sæpè DEO grates, quo decet ore, feras.
Effigiem Christi, dum transis, semper honora;
 Non tamen effigiem, sed quem designat, odora.

Piscis.

Si pisces molles sunt, magno corpore tolles,
Si pisces duri, parvi plùs sunt valituri.
Est facilis captu turbatis piscis in undis;
Utile turbatâ pisces piscarier undâ.
Retrogradi curvâ Cancri sed vescere caudâ;
 Sic avidi quondam constituêre viri.
Delicias alias habet inter Carpio linguam;
 Inque lupo fertur dulcius esse jecur.

Pluvia.

Nocte rubens cœlum cras indicat esse serenum:
 Quando DEO placuit, desuper unda cadit.

Pal-

Pallida luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat,
Manè rubens cœlum venturos indicat imbres.

Poëſis.

Qui bona vina bibit Vates, bona carmina ſcribit,
Frigebit carmen, mox ubi potat aquam.
Fœcundi calices quem non fecêre diſertum?
Nil unquàm egregium parturit ipſa Thetis.

Pœna.

Stat ſcelus occultum, ſed non remanebit inultum,
Ultio juſta DEI digna refundit ei.
Etſi deliteat non parvo tempore crimen,
Attamen huic tandem pœna luenda ſua eſt.
Crimina nulla queunt tantùm occultarier unquàm,
Quin his pœna ſuo ſit ſubeunda die.
Sæpè ſuum proprium fecit puer ipſe flagellum;
Suſtinet interdum, quo caruiſſe velit.
Sæpè ſuis manibus virgam puer ipſe paravit,
Poſteà quæ natibus ſit toleranda ſuis.
Virga recens noſtris nunquàm tu clunibus abſis,
Nam ſine te nobis ſpes bona vix ſupereſt.
Currere cogit equum ſub milite calcar acutum,
Sic faciet pueros aſpera virga bonos.
Qui mala facta facit, nunquàm bona præmia habebit,
Pravus habet meritis præmia digna ſuis.

Pôtus.

Prandia qui nobis ultrò benè lauta dediſti,
Pocula ne dubites ponere plena mero.
Eſca carens potu mediis in faucibus hæret,
Gratéque nec digna eſt ullius illa viri.
Denſa parit denſos capiti cereviſia fumos,
Sanguinis eſt nutrix, carnis & ipſa parens.

Salvia depellit rutæ permiſta venenum,
His roſa jungatur, peſtis amoris erit.
Non mare tam varios homines, quàm pocula, mergit:
Arma dedêre neci multos, ſed crapula plures.
Si perfuſa mero fuerint tua tempora ſerò,
Sumito manè meri pocula, ſicut heri.
Ire, loquique ſimul, cuicumque facillima res eſt;
At ſimul, ut pòtat, nemo comeſſe poteſt.

Potentia.

Cunctipotens DEUS eſt, nec vult, licèt omnia poſſit,
Vult homo cuncta, queat cùm tamen ipſe nihil.
Lædere qui potuit, prodeſſe aliquando valebit;
Stare diu incolumis vis violenta nequit.
Qui tibi ſubjectos tractes, quibus inſuper obſis,
Aſpice, vita brevis, ſors citò præſtò mala eſt.
Ultrà poſſe viri non vult DEUS ulla requiri:
Diſce bonum fari, bona ſi nequeas operari.
Verba valent, at ineſt factis præſtantia major.
Littera dicta perit, littera ſcripta manet.
Tutiùs eſt ſolùm taciturnam ducere vitam,
Quàm ſecum ſocios prorſus habere malos.

Preces.

Quisquis habet Chriſtum, felici navigat aurâ,
Fortunamque ſuo temperat arbitrio.
Sit ſcopus, & vitæ ſanctiſſima regula Chriſtus,
Omnia in hunc animi dirige tela tui.
Qui pius implorat Chriſtum, feliciter orat:
Clauſa manus ſteriles reddit ubique preces.

Principium.

Ad tua facta voca divini Numina Patris,
Et ſit principium Chriſtus ubique tibi.

Prin-

Principium nihil est, si consumatio desit:
  Dimidium facti, qui benè cœpit, habet.
A minimis sua non capiens exordia cœptis,
  Assequier summo magna labore nequit.

Probitas.

Os purum in verbis, à furto candida palma,
  Climata terrarum visere cuncta queunt.
Lingua nihil nisi vera loquens, manus inscia fraudis,
  Terrarum quòvis tuta meare queunt.

Prodigalitas.

Si quis de parvis vult plura absumere rebus,
  Quærere quàm vigili sedulitate potest:
Is mendicando victum petet ostia circum,
  Aut feret huic tristem crux, laqueusque necem.
Hoc, quod habes, sine fruge cave profundere totum,
  Ne te paupertas post malè grata premat.
Magni numinorum tardè cumulantur acervi,
  At citò collectæ diminuuntur opes.
Largiùs impendens sua, quàm fert curta supellex,
  Contorquet funem, qui sua colla liget.
Nec nimiùm parcus, nimiùm nec prodigus esto,
  Grande utrúmque tibi crimen, utrúmque fuge.
Qui sua demergit, mendicus ad ostia pergit:
Res quæsita morâ, parvâ consumitur horâ.
Nec sibi pistrinum, clibanum nec construit ullum,
  Prodigus, & deses, qui malè servat opes.

Proditio.

Quidquid nix celat, solis calor omne revelat:
  Ætherio calidum dum movet axe diem.
Dum sol hibernos spatiosiùs exerit ignes,
  Paulatim gelidâ sub nive tecta patent.

Promissum.

Res mala, res stulta est, dare nil, promittere multa,
 Dicitur haud parvi criminis esse nota.
Si promissa Patri per te sint facta supremo,
 Cœlitibusque, statim perficere illa, stude.
Festinus nimiùm cave des promissa cuiquam,
 Pollicitisque semel, dum potes, adde fidem.

Propinquitas.

Sanguine junctorum mentes firmantur amore,
 Affines inter friget amicitia.
Affines raró videas in amore fideles,
 At consanguinitas nutrit amicitiam.

Proprium.

Si celebris prisci sententia vera Catonis,
 Custodire suas res benè quemque decet.
Tecum habita, ut nôris, quàm sit tibi curta supellex,
 Ipsemet inque sinus lumina flecte tuos.
Quando voles alios verbis mordere caninis,
 Fœda tui cordis respice, mutus eris.
Mox peragit stultus privata negotia solus;
 Cura, quidquid agis, te benè nosse magis.

Providentia.

Spicula visa priùs propero adventare volatu,
 Vulnera contactæ dant leviora cuti.
Se minùs afflictum sentit, qui prævidet ictum;
 Tela nocent leviùs visa volare priùs,
Ne tibi quid desit, provisio provida præsit:
 Non mare tot guttas, quot mala mundus habet.
Præpositus, discreta cui prudentia nulla,
 Sæpè suos tristes cogit inire vias.

Pudi-

Pudicitia.

Quæ dos Matronis pulcherrima? vita pudica:
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.
Plùs, quàm prosit, obest inopi bona forma puellæ,
  Lis est cum formâ magna pudicitiæ.

Pudor.

Dum peccata pudor sequitur, sudorque lavacrum,
  Spes bona concipitur de meliore statu.
Et pudor, atque dolor facinus comitantur iniquum;
  Citra sudores balnea nulla juvant.

Pueritia.

Vascula principio quocunque replentur odore,
  Hunc posthinc prorsus lotio nulla feret.
Liquoris primi referent nova vasa saporem,
  Ex his donec erit testa vel una super.
In totâ pietas præluceat inclyta vitâ,
  In templo mores excolat illa tuos.
Sive domum venias, repetasque, modestus abito,
  Hinc decus, hinc vitæ commoda multa feres.
Pusio, qui patrio solùm sub culmine vixit,
  Externis vitulus dicitur esse locis.
Serò puer noti subeat sibi lintea tecti,
  Illaque sollicitus deserat ante diem.

Puella.

Visa puella nimis, nimiùm quoque cognita vestis,
  Amittunt pretii pondera grata sui.
Munera lascivas corrumpunt sæpè puellas,
  Quasque preces nequeunt flectere, dona queunt.

Raritas.

Emporium sine fure, senem sine sorte Danistam,
  Per totum poteris vix reperire solum.
Unde petes, quæ non soleat tussire, capellam ?
  Et scabie infectum vermibus absque caput ?

Regnum.

Esto munificus, minimè tamen esto profusus,
  Si regnare diu cum gravitate voles.
Largus enim nimiùm pravis bona præmia confert,
  Sæpè bonis contrà præbet & ipse mala.

Requies.

Otia junge tuis quandóque laboribus ipsis,
  Corporis ut robur par queat esse diu.
Quod caret alternâ requie, durabile non est,
  Hæc reparat vires, fessáque membra levat.
Magna quies, contemptus opum, contemptus honorum,
  Hæc capiant animum, ne patiare, tuum.
Stare diu nescit, qui non aliquando quiescit,
  Non poterunt vires hunc tolerare diu.

Responsio.

Respondisse nihil quædam responsio habetur :
Quæstio non semper quævis responsa meretur.

Risus.

Risus sit rarus, nec sit prolixior æquò,
  Immodicus sophiâ pectus inane notat.
Risibus esto modus, quòd si modus optimus absit,
  Pectoris argumenta insipientis erunt.
Qui sese solo recreat, crebróque cachinno,
  Vel nil mentis habet, vel mala corde fovet.

Eſt miſero pejus deriſio, quàm dolor ejus,
Non minùs afflictos, quàm dolor ipſe gravat.

Ruſticus.

Omnis honeſtatis, laudisque videtur egenus,
Qui vult fœmineum vituperare genus.
Qui muliebre genus meritò defraudat honore,
Plùs ſatis in ſeſe ruſticitatis habet.
Nec prece, nec lachrymis gens exoratur agreſtis,
His ſiquidem admotis intumet illa magis.
Ruſticus oratus ſolito fit durior omnis,
Nil querulæ voces, nil bona verba movent.
Ruſticus inflatur nimiùm, ſi ſæpè rogatur.
Ruſtica gens eſt optima flens, ſed peſſima gaudens.

Sacerdos.

Non, quisquis capiti ſuperaddit pilea raſo,
Eſt citò cenſendus presbyter ille bonus.
Non toga talaris Monachum, capitisque corona,
Sed pietas conſtans, integritasque facit.
Illius in morem ſacræ qui præſidet aræ,
Prima crucis frontem ſignet imago tuam.
Hæretici, cattique, canes ſi morte periſſent,
Pax lepori, & muri, presbyteróque foret.
Quidquid agit mundus, Monachus vult eſſe ſecundus;
Presbyter angelus eſt, ſi vixerit, ut ſibi jus eſt.
Presbyterûm famuli ſunt omni tempore tardi,
Dum comedunt, ſudant, frigeſcunt, quando laborant.
Fercula, vina, Venus, modò ſunt, ſemperque fuêre,
Verticibus raſi ſola ruina gregis.

Salutatio.

Auriculæ dulci gaudent prænominè molles,
Hoc ſine, ſi ſapias, nomina nulla voces.

Appositè titulos quisquis præfatur honoris,
Omnibus unanimi dicitur ore sophus.
Hoc qui vel nescit, vel qui fecisse gravatur:
Est simplex nimis, & prorsus agrestis homo.

Sapientia.

Ipsa tuos omnes lustret sapientia sensus,
Quâ sine nostra suo lumine vita caret,
Omnis in humanis vana est sapientia rebus,
Quæ non â summi mente profecta Patris.
Si promissa facit sapientem barba, quid obstat?
Barbatus possit quin caper esse Plato.
Si benè barbatum faceret sua barba beatum,
Nullus in hoc circo queat esse beatior hirco.
Vertìce sùb cano residet sapientia major;
Consiliis pollere facit maturior ætas.

Satanas.

Quò nequit ipse Satan opera ob diversa venire,
Mittit eò famulos munus obire suum.
Emittit famulos ipsus Phegetontius Heros;
Ipsi cùm sibimet non licet ire foras.
Quidquid sollicitè caussâ servatur honoris,
Hoc tandem tetro devorat ore Satan.
Dæmon solus inops, animæ est, & corporis expers;
Discedit dæmon tetro fætore relicto.

Satur.

Hospes, in hac mensâ fuerint dum viscera tensa,
Surgere ne properes, ni priùs annumeres.
Quisquis discurrit, lautissima frusta ligurit;
At qui torpescit, pinguia nulla capit.

Schola.

Per pifces, & aves multi periêre Scholares:
Non difcunt, quicunq; Scholas hinc inde frequentant.
Nunc lege, nunc ora, nunc cum fervore labora,
Sic erit hora brevis, fic labor ipfe levis.

Scientia.

Scire aliquid laus eft, pudor eft nil difcere velle,
Ne pudeat, quæ nefcieris, te velle doceri.
Utilium fiquidem perfecta fcientia rerum,
Anteit ingentes totius orbis opes.
Propter fcire dabis laudum præconia nulli,
Ni cordis bona mens interiora regat.
Non jacet in molli veneranda fcientia lecto,
Ipfa fed affiduo parta labore venit.
Quod fatis eft, dormi, melior vigilantia fomnô,
Doctrina in tepido non jacet ulla thoro.
Sunt, qui fcire volunt longè, lateque remota,
Cùm nec cognofcant, quod jacet ante pedes.
Multarum inftar opum præclara fcientia rerum,
Hæc manet, aft illas fors inopina rapit.

Secreta.

Si fecreta voles ferie cognofcere verâ,
Potores, pueros, ftultiloquosque roga.
Ebrius, & fatuus, pueri jungantur iisdem,
Indicio produnt abdita fæpè fuo.
Si fecretarum feriem vis nofcere rerum,
Ebrius, infipiens, pueri dicent tibi verum.
Stultus nil celat, quod habet fub corde revelat;
In lingua eft ftulti, prudens quod corde recondit.
Absque gravi nullus retegit fecreta periclo,
Fœmineo cùm fit garrula lingua gregi.
Quod reticere voles alios, prior ipfe fileto;
Quod tribus eft notum, non eft à plebe remotum.

Tussis, amor, fumus, numerosa pecunia ditis,
Non suevêre loco tecta manere diu.
Fœminei sexûs hæc sunt insignia: flere,
Fallere, mentiri, nere, tacere nihil.
Matronæ tamen hinc omnes demuntur honostæ,
De quibus in Versu mentio nulla meo est.

Senectus.

Qui renuit juvenis studii perferre laborem,
Esuriet pauper, quando senecta premit.
Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque suo pretio ruga senilis erat.
Dico senem stultum, cujus Venus improba vultum
Vicit amore levi, stultitiâqve brevi.
Turpe senem vetitæ flagrare libidinis æstu,
Turpe senex miles, turpe senilis amor.
Robore prima sui confidit corporis ætas,
Ultima consilio suspicienda bono est.

Sensus.

Res animata sibi quæ non caput utile haberet,
Usquàm terrarum nulla reperta fuit.
Ne tibi permittas vetitis insistere curis,
Sensaque sub pectus non nisi sancta cadant.

Servitus.

Si tibi sit servus mendax, nimiúmve superbus,
Hunc ne ferto tuis ædibus esse diu.
Elatos, fidosque parùm sermone ministros,
Vivere sub tecto ne patiare tuo.
Non vult verna probus dominis servire duobus,
Qui bene constituit munus obire suum.
Mercedem promptè servo numerare fideli,
Jam pridem dominos biblia sacra monent.

Donec opus fervet, decoratur honore minister,
  Hôc vix perfectô truditur ille foras.
Servus amatur, opus vegeto dum corpore tractat,
  Spernitur, ut multô membra labore rigent.
Si famulêre DEO, poplitem curvabis utrumque,
  Sin homini, flexô sat facis alterutrô.
Cultus ubique genu Superis præstatur utroque,
  Terricolis unô summus habetur honos.
Si tibi fortè suam servus condixit opellam,
  Effice, præceptis subsit ut ille tuis.
Nec prece conductum servum capies, nec amicum,
  Si vis servitiô prosit uterque tibi.
Si servire velis, humilis sis, atque fidelis;
  Si justo servis, præmia digna feres.
Vive diu, sed vive DEO; nam vivere mundo,
  Mortis opus, vera est, vivere, vita, DEO.
Ne famulêre seni, pucro, nuruumque cohorti,
  Ni vis servitium sit sine fruge tuum.
Mors rapit atra senem, meriti obliviscitur infans;
  Ambiguam mulier possidet ipsa fidem.

Signa.

Barba rubens, densisque minùs decorata capillis,
  Est nota certa viri, terque, quaterque mali.
Virtutis signum perhibetur id esse futuræ,
  Sponte suâ verbis aurem adhibere bonis.

Similitudo.

Est animal nullum quovis sub climate mundi,
  Quod non comparibus quærat adesse suis.
Formicæ formica, cicadæ est præstò cicada,
  Sus conjuncta sui, par sibi quisque petit.
Pax apud æquales feros consistit in annos,
  Inter inæquales non manet illa diu.

Simu-

Simulatio.

Nil homine invenit natura nocentiùs illo,
  Qui secus, ac sentit, differit ore suo.
Hunc ecquis caveat fidum, quin credat amicum,
  Suavia qui ficto pectore verba facit.
Urbibus & pagis exosus hypocrita vivit,
  Qui simulante nocet pectore grata loqui.

Sobrietas.

Sobrietas nostræ producit tempora vitæ,
  Ante diem luxus cogit obire diem.

Societas.

Vis hominis mores, omnem vis noscere vitam,
  Quales, observes, junxerit ille sibi.
Integra mala putri si sint conjuncta, putrescunt,
  Illicò vicini concipiuntque malum.
Si cæcus cæcum conatur ducere secum,
  In foveam ductor cadit uterque simul.
Talis semper eris, consortia qualia quæris,
  Unica prava pecus inficit omne pecus.
Duxque, comesque viæ vario sermone disertus,
  Fessis carpenti more ministrat opem.

Solitudo.

Quævis vitantes hominum consortia, vita:
  Nam latet illorum pectore sæpè dolus.

Somnus, somnia.

Ne nocturna tuam turbent insomnia mentem,
  Permanet his eadem, quæ fuit antè, fides.
Somnia fallaci ludunt temeraria nocte,
  Et pavidas mentes falsa timere jubent.

Omnia

Omnia quæ ſenſu volvuntur vota diurno,
Tempore nocturno reddit amica quies.
Somnia ſi qua vident ſomni ſub tempore porci,
Omnia de ſiliquis illa futura reor.
Protinus in dulcem ſolvuntur lumina ſomnum,
Pervigil à membris cùm dolor omnis abeſt.

Sordes.

Res ſatis eſt nota, plùs fœtent ſtercora mota,
Stercore nam moto fœdior exit odor.
Sus immunditiâ gaudet, pingueſcit & illâ,
Pontibus hanc vitreis æſtimat illa magis.
Seu victor, ſeu victus eris, maculabere totus;
Si tibi cum fœdo ſtercore pugna fiet.

Spes, & fiducia.

Spem ſat concipiunt in ſe mea pectora firmam,
Attamen haud omni ſunt ea caſſa metu.
Cùm ſpes fruſtratur, non ſpes, ſed pœna vocatur,
Spes reficit dominum, fallit & ipſa ſuum.
Exſpectare diu, & longum ſperare moleſtum,
Efficit & multos mentis habere nihil.
Eſto magnanimus, recti dum conſcia mens eſt,
Sin aliter, melior vita agitanda tibi.
Fidit homo, donec canos in vertice geſtat,
Fide, fide victor poſtmodò certus eris.
Fide DEO, victorque fide indubitatus abibis,
Cuncta evaneſcunt, ſpes manet usque DEI.
Qui ſpes ipſe ſibi, ſpe ſæpè labeſcit inani,
Fallitur augurio ſpes bona ſæpè ſuo.

Sponſor.

Ne, niſi damna ſubire voles, vadimonia præſta,
Nemo ſuo prorſus vas fuit abſque malo.

Status.

Hoc, quod habes, retine, donec meliora parabis,
  Incertum certo præposuisse cave.
Si quâ sede sedes, & sit tibi commoda sedes,
Illâ sede sede, nec ab illa sede recede.
Tam sanctus status, & tam sancta professio nulla;
  Quin habeat quosdam, sustineatque malos.

Studium.

Si fieri prudens, sapiensque vocarier optas,
  Sole oriente stude, sole abeunte stude.
Quem juvat assiduos studii tolerare labores,
  Ille suam vitam pòst sapienter agit.
Turpe est marte suo nihil invenisse bonorum;
  Ipse boni quidquam perfice, magnus eris.

Stultitia.

Stultitia in stulto crescit crescentibus annis,
  Nil anni ingenio deficiente juvant,
Fœmineæ fraudes, donumque suave Lyei,
  Efficiunt stultum de sapiente virum,
Dicitur insipiens, & acuti pectoris excors,
  Qui sibi cujusvis quærit amicitiam.
Noxia nugacis vires commercia stulti,
  Ne tibi stultitias affricet ille suas.
Unus convivis multis si morio præstò est,
  Efficiet, solus non sit ut ille diu.

Subditi.

Argenti quantum teneat subjectus in arca;
  Non opus hoc domino prodat ut ipse suo.
Cùm domino quicumque suo conviva recumbit;
  Si pyra ponantur, non meliora legit.

Super-

Superbia.

Sæpè solent census hominum pervertere sensus,
Mutantur mores, cùm comitantur opes.
Qui dubiam certæ mortis perpenderit horam,
Non cupiet cristas ille levare suas.
Inprimis animi motus compesce superbos,
Moribus & fastus semper abesto tuis.
Invasit tumidæ quemcunque superbia mentis,
Solicito imprimis tramite carpit iter.

Surdus.

Cantio bis frustrà surdas cantatur ad auras;
Quippe quòd auditus clausus utrique fiet.
Pessima suspicio mentem si roserit intus,
Illam tranquillo pectore pelle procul.

Taciturnitas.

Sunt vanis multò meliora silentia verbis;
Perdo silere bonum, dum loquor ipse malum.
Admotô præstat digitô compescere linguam;
Edere vecordes quàm sine mente sonos.
Ars est posse suis adhibere silentia rebus:
Parturit invidiam garrulitatis amor.
Apta loqui laudem, laudemque tacere meretur,
Hæc duo si poteris scire, peritus eris.
Vis sapiens dici totius tempore vitæ,
Inter cujusquam rumpere verba cave.
Ne te sollicitent aliena negotia quidquam,
Illis judicium noli adhibere tuum.

Templum.

Cur sis natus homo, casto fac corde volutes,
Ingressus precibus tecta sacrata piis,

Vel

Vel cane, vel preculas imo de pectore funde,
Vel lege divinos, ut moveâre, libros.

Temperantia.

Sobrietatis amor, vitâ servatus in omni,
Corpora castigat, luxuriemque premit.

Tempus.

Temporis in mundo res nulla fugacior horâ,
Quam cùm præsentem credimus, illa fuit.
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo,
Sorte fluunt celeri parta labore gravi.
Ut rectè tua agas, citus aggrediâre laborem,
Nam ventô citiùs temporis hora volat.
Omnia tempus habent, flebis dum tempora flendi,
Ride, dum risum tempora læta ferunt.
Temporibus sumptus non est preciosior usquam,
Hæc fugiunt celeri non reditura pede.
Damna fleo rerum, sed plùs fleo damna dierum,
Quisque potest rebus succurrere, nemo diebus.

Testis.

Inventu facilis, parvoque parabilis ære,
Omnibus in terris testis iniquus erit.
Invenias passim parvi qui muneris ergo,
Coram judicibus falsa referre velint.

Thesaurus.

Optimus est homini Dominum thesaurus amare;
Ac vitæ norma est optima dogma suum.

Tormenta.

Pectore qui puro Christum cognoscit, amatque,
Non probra, non diras horret adire neces.

Verus

Verus amor Chriſti, & ſtudium ſua juſſa tenendi,
Reddunt dulce pati, deniq́ue dulce mori.

Turpitudo.

Turpia nec patres, nec turpia mente volutes,
Ipſemet ingenium fac vereâre tuum.

Valetudo bona.

Manè laves oculos, faciemq́ue, manusq́ue decenter,
Nervos diſtentas, commoveasq́ue pedes.
Gingivas, denteśque frices, pectasq́ue capillos;
Hinc robur cerebro, corporibusq́ue datur.
Sanus eris, ſi parcus edas, multúmque labores,
Imponasq́ue tuis frena libidinibus.
Manè ſede, tua ſtes poſt prandia, nocte cubato,
Veſpere poſt epulas ultrò, citróque meа.

Venia.

Sis celer ad veniam, tardus ſis ſumere pœnas,
Pax tibi ſit cordi, bella ciere cave.
Jurgia devitans, pacis tenearis amore,
Sis veniæ largus, vindicis arma fuge,
Ulciſci lentus, facilem da queſtibus aurem,
Pax placeat, bellum diſpliceatq́ue tibi.

Venter.

Cui rubra eſt facies, & venter turget obeſus,
Non habet impranſi ſigna, notasq́ue viri.
Ingenium ex pingui ventre haud emergit acutum,
Naſcitur ex variis ſtulta chorea cibis.

Ventus.

Rarò cadit ventus, niſi cum pluviâ, violentus,
Illius ille parens, illius illa comes.

Quando cadit vehemens posito spiramine ventus,
Mox pluviam terris adfore certus eris.
Quattuor ex vento veniunt in ventre retento,
Vertigo capitis, colica, spasmus, hydrops.

Verbum bonum, malum.

De verbo temerè nostro quod prodit ab ore,
Est ratio coram judice danda DEO.
Si bonus interpres, inepta probantur ut apta,
Sin malus, apta satis prorsus inepta feret.
Verba ligant homines, taurorum cornua funes;
Verbis ipse suis illaqueatur homo,
Res dare pro rebus, pro verbis verba solemus:
Dulcia verba linunt, quæ his sunt contraria, pungunt.

Verbera.

Nux, asinus, mulier, pueri jungantur inertes,
Nil sine verberibus convenienter agunt.
Nux, asinus, mulier, simili sunt lege frequenter,
Hæc tria nil faciunt rectè, si verbera desunt.

Veritas.

Sermo tuô falsus nunquam procedat ab ore,
Os mendax animam cogit adire necem.
Pro veris non vera loqui turpissima res est,
Interimitque animam, quæ super usque manet.
Semper amant nitidam purissima pectora lucem;
Quæritat obscuros vita maligna locos.
Verus vera DEUS cupit, at mendacia temnit,
Sedulus hæc fugias, illa sequâre libens.
Cùm jocus est verus, jocus est malus, atque severus,
Offendit solitus dicere vera jocus.

Vestes.

Veſtes.

Ex nido, plumiſve ſuis noſcenda volucris,
    Corporis ex habitu noſcitur ipſus homo.
Quid faſtu turges? nitidâ quid veſte ſuperbis?
    Inflatum quid homo tollis ad aſtra caput?
Ergò DEI pœnam metuas, ac parcito nummis,
    Veſtitu modico corpus inane tege.
Sic tibi pro votis feliciter omnia cedent,
    Sic aderunt cæptis mitia fata tuis.
Ecquid huic adimant vel millia multa virorum,
    Qui nihil omninò, quod rapiatur, habet.
Pauperibus quicunque quadrat benè ſemper amictus;
    Veſtibus incultus nudus honore manet.
Hos homines decorant, quos veſtimenta decorant,
    Sint quamvis aſino cognatione pares.
Nemo ſuo nudos unquam privavit amictu:
    Nemo ſuo peditem diſpoliavit equo.

Vetuſtas.

Vina vetuſta, duces, aurum, veteres & amici,
    Omnibus, & meritò ſunt in honore, locis.
Annoſum vinum, ſocius vetus, & vetus aurum,
    Hæc ſunt in cunctis trina probata locis.
Antiquus gladius, vetus, atque fidelis amicus,
    Sorte ſub adverſâ non valuêre parùm.

Via.

Qui ſibi ſponte feras, & qui vehantur amicas,
    Temporis atque viæ tædia nulla ſciunt.
Optima terra parùm præbet viam euntibus aptam,
    Vicinis mala res cauſidicus bonus eſt.

Vicinus.

Si cui non conſtet, quis ſit, vulgòve putetur,
    Vicini poſcat jurgia, certus erit.

Fertilior seges est alienis semper in agris,
Vicinumque pecus grandius uber habet.

Vicissitudo rerum.

Arbitrio fortuna suo dominatur in omnes,
Et certam præsens vix habet hora fidem.
Gaudia mœrori, pulchræ nox juncta diei;
Sol pluviam, secum dulcor acerba trahit.
Quisquis non flebit, dum flendi tempus habebit,
Æterno luctu lugebit pòst sine fructu.
Gaudia præsentis quisquis sectabitur ævi,
Idem venturo perferet omne malum.
Deliciis nemo in vitâ potietur utrâque,
Gaudia mærorem, tristia læta ferent.
Aura, rosæ species, favor aulæ, gratia Nimphæ,
Cognatâ violant mobilitate fidem.
Vultus fortunæ mutatur imagine lunæ,
Quæ variat mirâ mobilitate vices.
Nec feræ tempestas, nec sævi tædia Martis,
Usque manent, miseros continuóque premunt,
Si juvenis famulêre, senex dominabere, contrà,
Si dominus puer es, pòst malè servus eris.

Victoria.

Pulchrior ulla nequit victoria ab hoste parari,
Affectus cordis quàm superare sui.
Egregium decus, & spolia ampla reportat ab hoste,
Qui sua Marte suo corda domare potest.
Vincere cor proprium, plus est, quàm vincere mundum,
Major nec virtus altiùs ire potest.

Vigilantia.

Plùs vigilare decet, segnes quàm carpere somnos,
Propterea turpis fint quòd origo mali.

Turpe

Turpe locis oculos in eis committere somno,
In quibus est nobis, ut vigilemus, opus.
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat,
Plùs vigila semper, nec somno deditus esto.

Vindicta.

Quâ ratione meos ulciscar, quæritis, hostes?
Expediam; ulcisci sic quoque disce tuos.
Incessunt, taceo; culpant, fero; crimina spargunt,
Dissimulo; mordent absque dolore meo.
Latrant, non moveor; frendent, non curo: minantur,
Non metuo; mordent labra, laboro nihil.
Exagitant, non exagitor: vexant, neque vexor:
Lædunt, non lædor: probra refutat honor.
Insidias ponunt, evado: petunt caput, oro:
Pessima molitis optima quæque precor.
Redde malis bona, vindictam committe Tonanti;
Felix, qui tali punit iniqua modo.
Mens patiens, mitis, pacis studiosa meretur
Laudem hominum, Sanctis perplacet, atque DEO.

Vinum.

Si bonus est Bacchus, lætos juvenesque, senesque,
Sin malus, hos tristes protinus ille facit.
Vina parant animos, faciuntque coloribus aptos,
Cura fugit, multo diluiturque mero.
Diligo temetum, quia cor facit esse quietum:
Et reddit lætum, quemque fugatque metum.
Si bona vina bibis, semper tunc lætus abibis,
Musica pelle tuô tristia corda sonô.
Dulcia si guttur recreant tibi vina bibenti;
Ne pro illis pretium sit numerare grave.
Grandes cùm fuerit cyathos siccare voluptas,
Non corrugatâ solvere fronte decet.

Ut bona vina probes, ſapor explorandus, odorque,
Et color oſtendit, teſtis eritque calor.
Quæ non exhilerant, non ſunt bona vina, bibentem;
Vina ſeni fulcrum, juveni ſunt dulce venenum.

Vinum lætificat cor hominis.

Ut vinum cunctas tollit de pectore curas,
Sic recreat vitæ triſtia corda tuæ.

Virginitas.

Virginitas, tempus, verbum, viridisque juventa,
Non revocantur, ut hæc interiêre ſemel.
Virginis ex habitu facilè eſt cognoſcere luxum;
Namque polita nimis virgo, pudica minùs.

Vir.

Pauperior cæco, uxoris cui verba procacis,
Verbera ne dicam, ſunt metuenda ſuæ.
Vir, mulierque loco miſcentes verba latenti,
Dedecus inde ſolent conciliare ſibi.

Virtus.

Partibus argentum multis ſuperatur ab auro,
Virtuti cedunt cuncta metalla loco.
Virtutis ſtudio quicunque tenetur honeſtæ,
Perpetuæ conſors ille ſalutis erit.
Pelle prius vitium, ſi vis virtute nitere,
Poſteà virtutum ſemina grata ſere.
Mens virtute carens, careat quoque laude neceſſè eſt,
Altera cum ſemper ſit comes alterius.
Nil niſi virtutem primis ſectetur ab annis,
Integer â vitiis qui cupit eſſe ſenex.
Non minor eſt virtus, quàm quærere, parta tueri,
Caſus ineſt illic, hic erit artis opus.

Vires.

Vis ingens herbis, & magna potentia gemmis,
Verba suis tamen has viribus anteeunt.
Efficiunt herbæ, & nitidi non parva lapilli;
At fecisse magis verba diserta queunt.
Nullius obsequium, studiúmve, labórve coactus,
Vel minimâ dignum laude peregit opus.

Visus.

Cujus non dubii mea sunt mihi lumina testes,
Hoc mihi non alius suaserit esse secus.
Quid verbis opus est aliud suadere volentis,
Cùm res luminibus sit benè visa meis.

Vita.

Ille suæ vitæ complet feliciter annos,
Mensuram rebus qui facit esse suis.
Exitus est placidus placidis, & acerbus acerbis,
Vitaque qualis erat, mors quoque talis erit.
Vita refert fragilem tumido super æquore bullam,
Quando valere putes, illa repentè fugit.
Vis alios quoscunque reprendere, visque docere,
Corrige te primùm, doctor erisque bonus.
Tanquàm perpetuò victurus adito laborem;
Et vitam veluti cras moriturus age.
Qui rectè faciet, superam transibit in aulam,
Quam nunquàm potis est ullus adire malus.
Ipse licèt fueris Cicerone disertior ipso,
Si malus es, nullo tempore gratus eris.
Nil meliùs vitam quàm semper ducere lætam;
Ultima sed multum tempora fellis habent.

Vitia.

Si quis ab alterius visu vult tollere labem,
A propriis primùm detrahat ille trabem.

Tolle repentè trabem proprio de lumine primùm,
  Hinc fratris cernes ut mediâre malo.
Omne bonum, quod habes, contaminat unica labes,
  Virtutum, quod habes, auferet omne decus.
Error ni primo benè castigetur ab ortu,
  Erroris fiet dux & origo novi.
Audenter vitiis contrà venientibus ito,
  Linquere pòst nimis est inveterata grave.
Cernitur haud quisquàm mortali sorte creatus,
  Quin habeat membris, quod procul esse velit.
Qui sunt absque nisi, non sunt homines mihi visi;
Si nisi non esset, perfectus quilibet esset.

Voluptas.

Illius assequitur satis is mediante labore,
  Cujus cum primis flagrat amore rei.

Vox.

Nux, oleum, frigus, potus, sunt rauris origo,
  De non maturis prodit & illa cibis.
Fructus immitens, oleum, nux, frigora, potus,
  Efficiunt scabras gutteris esse vias.
Nux, oleum, nudumque caput, pomum quoque crudum,
Vinum non paucum faciunt super omnia raucum.

Usus.

Tam malè nil cusum, quod nullum prosit ad usum,
  Quin possessorem commoditate beet.
Res nulla est, quæ non aliquando sit usibus apta,
  Si non est hodie, cras bona forsan erit.

Utilitas.

Commoda sollicitus sua qui non spectat, amatque,
  Hic est (si vulgi regula vera) miser.

Turpe

Turpe quidem dictu, sed si modò vera fatemur,
    Vulgus amicitias utilitate probat.
Cura, quid expediat, prior est, quàm quid sit honestum;
    Et cum fortunâ statque, caditque fides.
Ipse decor recti, facti si præmia desint,
    Non movet, & gratis pœnitet esse probum.
Ipse ego pace frui per amica silentia malim,
    Quàm verâ plagas pro ratione pati.
Bacchus post lactis nulli non utilis esum,
    Si succedat huic lac, malè habere facit.

Uxor.

Implicitus vînclis quicunque jugalibus hæret,
Multa, opus, ut faciat, multa necesse ferat.
Ne tua committas sociæ secreta jugali;
    Vivere si lætos vis sine lite dies.
Imò tegas tacito quidvis in pectore clausum,
    Posteà quod vitæ possit obesse tuæ.
Duc non dissimilem sponsam virtute venustam:
    Si qua voles aptè nubere, nube pari.
Suave merum, recti mens conscia, & uxor honesta,
    Sunt possessori singula grata suo.
At si contingat tribus hisce fruatur ùt unus,
    Hunc quis felicem non putet esse virum?

Varia carmina, mixta, ac Rhytmi.

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,
Vultur odoratu, præcellit aranea tactu.
Fleres, si scires unum tua tempora mensem,
    Rides, cùm non sit forsitan una dies.
Vina bibant hômines, animalia cætera fontes,
    Absit ab humano pectore potus aquæ.
Cur maculas alios, maculosior omnibus ipse?
    Et, carpi dignus, carpere non metuis?

Ne mihi contemnat munus pervile Joannes;
  Nam latet in parvo munere magnus amor.
In reliquis vitiis sequitur victoria pugnam;
  Vincitur at celeri fœda libido fugâ.
Ut tibi mors felix contingat, vivere disce;
  Ut felix possis vivere, disce mori.
Est verbum verum: frangit DEUS omne superbum.
Multùm deliro, si cuique placere requiro.
Pelle sub agnina latitat mens sæpè lupina.
Artibus ingenuis quæsita est gloria multis
Ad mala patrata sunt atra theatra parata.
Nobilitas morum plùs ornat, quàm genitorum.
Solâ scintillâ perit hæc domus, & ruit illa,
Usus amicorum bonus est, & ubique locorum.
Sic fuit, est, & erit, similis similem sibi quærit.
Quam pateris dignè, pœnam patiare benignè.
Aspice non dantem, sed dantis respice mentem;
  Quippe sub exiguo est munere magnus amor.
Qui conversatur cum sanctis, sanctificatur.
  Quod facis ingrato, certo perit undique fato.
Quot campo flores, tot sunt in amore dolores.
Pauper homo rarò vivit cum nomine claro.
Omnes lætantur, cùm prosperitate beantur.
Nescit homo verè, quod habet, nisi cesset habere.
Os, qui non claudit, quod non vult sæpiùs audit.
Nil meliùs verè, quàm cum ratione tacere.
  Non obolus solus pingue parabit olus.
Non pudor est quæri, quod nescis, sive doceri.
Non laudo florem, qui nullum præstat odorem.
Mortis linque metus, si tu vis vivere lætus.
Munera per gentes corrumpunt undique mentes.
Hunc fidum dico, benè qui succurrit amico.
Ex siccis lignis componitur optimus ignis.
Ex hoc laudatur mulier, si pauca loquatur.
Gratia multorum non constans est dominorum.
Eligat æqualem prudens sibi quisque Sodalem.

Esse

Esse solet rarò pulchrà pudica caro.
Est amor ingratus, cùm non sit amator amatus,
Est commune mori, mors nulli parcit honori.
Est mirum bellum, cùm culpat asellus asellum.
Cedere majori non est pudor inferiori.
De plenis cyathis multi periêre, sciatis.
Musca, canes, mimi sunt ad convivia primi.
Dum canis os rodit, socium, quem diligit, odit.
Rarò doctus erit, qui semper ludere quærit,
Nummus honoratur, sine nummo nullus amatur.
Discat, qui nescit, nam sic sapientia crescit.
Non benè prandetur, cùm panis abesse videtur.
Stat scelus occultum, sed non remanebit inultum.
Deficit ambobus, qui vult servire duobus.
Vulpes vult fraudem, lupus agnum, fœmina laudem.
De linguâ stultâ veniunt incommoda multa.
Quantò major eris, perfectior esse teneris.
Gloria sit soli, qui regit astra poli.
Sunt asini multi, bino solùm pede fulti.
Quæras virtutem, si vis reperire salutem.
Nos solet immundus promissis fallere mundus.
Quod nova testa capit, inveterata sapit.
Emicat ex ipsis divina potentia terris,
Et levis est cespis, qui probat esse DEUM.
Non eadem facies est quovis tempore lunæ,
Nec rosa, quæ spinis destituatur, erit.
Ut rosa pulchra nitet, sic spinis pungit acutis,
Suavibus in vita miscet amara DEUS.
Clericus applaudit, dum vocem funeris audit,
Æдituus ridet, cùm sepelire videt.
Manè viret lætus flos, sero vespere languet,
Vita brevis tenui febre perusta cadit.
Collige virgo rosas rubentes pollice casto,
Sed memor esto, ævum sic properare tuum.
Ut canis in sylvis venatur, & omnia lustrat;
Sic lupus in sylvis nutritur, & omnia vastat.

Quos

Quos anguis dirus tristi mulcedine pavit,
Hos sanguis mirus Christi dulcedine lavit.

De
Conservanda valetudine.

Curas tolle graves. irasci crede profanum;
Parce mero, cœnato parum, non sit tibi vanum,
Surgere post epulas, somnum fuge meridianum:
Nec mictum retine, nec comprime fortiter anum;
Si tibi deficiant medici, medici tibi fiant.
Hæc tria: mens hilaris, requies, moderata diæta.
Utere convivis non tristibus, utere amicis,
  Quos nugæ, & risus, & joca salsa juvant.
Quem non blanda juvent varii modulamina cantûs?
  Hinc jecur, & renes, ægraque corda stupent.
Tange lyram digitis, animi dolor omnis abibit,
  Dulcisonum reficit tristia corda melos.
Lumina manè, manus surgens gelidâ lavet undâ,
Hac illac modicùm pergat, modicùm sua membra
Extendat, crines pectat, dentes fricet, ista
Confortant cerebrum, confortant cætera membra.
Fons, speculum, gramen, dant hæc oculis relevamen;
Manè igitur montes, sub serum inquirito fontes.
Sit brevis, aut nullus tibi somnus meridianus,
Febris, pigrities, capitis dolor, atque catharrus.
Hæc tibi proveniunt ex somno meridiano.
Si fluat ad pectus, dicatur rheuma catharrus,
Si ad fauces, branchus, si ad nares, esto coryza.
Quattuor ex vento veniunt in ventre retento,
Spasmus, hydrops, colica, & vertigo, hoc res probat ipsa.
Tu nunquam comedas, stomachum ni noveris esse
Purgatum, vacuumque cibo, quem sumpseris antè,
Ex desiderio id poteris cognoscere certo;
Hæc sint signa tibi, subtilis in ore diæta.
Persica, poma, pyra, & lac, caseus, & caro salsa,

Et caro cervina, & leporina, bovina, caprina,
Atrà hæc bile nocent, suntque infirmis inimica,
Caseus est nequam, quia concoquit omnia se quàm;
  Caseus ille bonus, quem dat avara manus.
Regulà presbyteri jubet hoc pro lege teneri:
  Quòd bona sint ova hæc, candida, longa, nova.
Da senibus modicam pro vitâ sumere mensam,
  Vinum lac renum traditur esse senum.
Et nutrit triticum, & impinguat, lac, caseus infans,
Testiculi, porcina caro, cerebellà, medulla.
Dulcia vina, cibus gustu jucundior, ova
Sorbilia, & ficus maturæ, uvæque recentes.
Vinà probantur odore, sapore, nitore, colore:
Si bona vina cupis, quinque hæc laudantur in illis:
Fortia, formosa, & fragrantia, frigida, frisca.
Corpora plùs augent tibi dulcia candida vina.
Si vinum rubrum nimium quandoque bibatur,
Venter stipatur, vox limpida turbificatur.
Allia, ruta, pyra, & raphanus, cum theriacà nux,
Præstant antidotum contra lethale venenum.
Allia qui manè jejuno sumpserit ore,
Hunc ignotarum non lædet potus aquarum,
Nec diversorum mutatio facta locorum:
Hæc ideò miscere cibis messoribus est mos,
Ut si fortè sopor fessos depresserit illos,
Vermibus à nocuis tuti requiescere possint.
Lucidus, ac mundus sit ritè habitantibus aër,
Infectus neque sit, nec olens fætore cloacæ.
Si nocturna tibi noceat potatio vini,
Hoc tu manè bibas iterum, & fuerit medicina.
Gignit & humores melius vinum meliores,
Si fuerit nigrum, corpus reddit tibi pigrum.
Vinum sit clarumque, vetus, subtile, maturum,
Ac benè dilutum, saliens, moderamine sumptum.
Non acidum sapiat cerevisia, sit benè clara;
Ex granis sit cocta bonis satis, ac veterata.

Tem-

Temporibus veris modicum prandere juberis;
Sed calor æstatis dapibus nocet immoderatis.
Autumni fructus caveas, ne sint tibi luctus;
De mensa sume, quantum vis, tempore brumæ.
Salvia cum ruta faciunt tibi pocula tuta:
Adde rosæ florem, minuuntque potenter amorem.
Salvia, sal, vinum, piper, allia, petroselinum,
Ex his fac salsam, ne sit commixtio falsa.
Lotio post mensam tibi confert munera bina,
Mundificat palmas, & lumina reddit acuta.
Panis non calidus, nec sit nimis inveteratus,
Sed fermentatusque, oculatus, sit benè coctus,
Et salsus modicè, ex granis validis benè electus:
Non comedas crustam, choleram quia gignit adustam.
Est porcina caro sine vino pejor ovinâ:
Si tribuas vinum, fuerit cibus, ac medicina.
Potus aquæ sumptus comedenti incommoda præstat:
  Hinc friget stomachus, crudus & inde cibus.
Caseus, anguillæ nimis obsunt, si comeduntur,
  Ni tu sæpè bibas, & rebibendo bibas.
Inter prandendum sit sæpè, parumque bibendum;
  Si sumas ovum, molle sit, atque novum.
Pisum inflativum est cum pellibus, atque nocivum,
  Pellibus ablatis, sunt bona pisa satis.
Lac phthisicis sanum caprinum, postque cameli,
  Ac nutritivum plùs omnibus est asininum;
Plùs nutritivum vaccinum, sic & ovinum:
  Absit si febris, caput & doleat, fugiendum est.
Lenit, & humectat, solvit sine febre butyrum;
  Inciditque, lavat, penetrat, mundat quoque serum.
Caseus, & panis sunt optima fercula sanis:
  Si non sunt sani, tunc hunc ne jungito pani.
Caseus ante cibum confert, si defluat alvus.
  Si constipetur, terminet ille dapes.
Ut minùs ægrotes, non inter fercula potes:
Ut vites pœnam, de potibus incipe cænam.

Adde

Adde pyro potum, nux est medicina veneno:
Fert pyra nostra pyrus, sine vino sunt pyra virus.
Dum coquis, antidotum pyra sunt, sed cruda venenum:
Si pyra sunt virus, sit maledicta pyrus.
Si cerasum comedas, tibi confert grandia dona;
Expurgat stomachum, nucleus lapidem tibi tollit.
Frigida sunt, laxant, multùm prosunt tibi pruna:
Persica cum musto vobis datur ordine justo,
Sumere sic est mos nucibus socienda racemus,
Passula non spleni, tussi valet, est bona reni.
Multiplicant mictum, ventrem dant mespila strictum;
Mespila dura placent, sed mollia sunt meliora.
Crassos humores nutrit cerevisia, vires
Præstat, & augmentat carnem, generatque cruorem.
Provocat urinam, ventrem quoque mollit, & inflat:
Frigidat & modicùm: sed plùs desiccat acetum.
Rapa juvat stomachum, novit producere ventum,
Provocat urinam, præstatque in dente ruinam.
Si mala cocta datur, tibi torsio sic generatur;
Ventum sæpè rapis, si tu vis vivere rapis.
Radix rapa bona est, comedenti dat tria dona;
Visum clarificat, ventrem mollit, benè bombit.
Bis duo dat marathrum, febres fugat, atque venenum;
Et purgat stomachum, lumen quoque reddit acutum.
Emendat visum, stomachum confortat anisum:
Si cruor emanat, spodium sumptum citò sanat.
Gaudet hepar spodio, mace cor, cerebrum quoque moscho
Pulmo liquiritiâ, quoque splen, stomachusque galangâ.
Sal virus refugat, rectè insipidumque saporat:
Non sapit esca probè, quæ datur absque sale.
Urunt res salsæ visum, semenque minorant:
Et generant scabiem, pruritum, sive rigorem.
Sal primò poni debet, primòque reponi:
Non benè mensa tibi ponitur absque sale.
Omnibus assuetam jubeo servare diætam:
Ne malè conveniens ingrediantur iter.

Jus

Jus caulis solvit, cujus substantia stringit;
Utraque quando datur, venter laxare paratur.
Ne tibi pallentes moveant fastidia caules:
 Nitratâ viridis brassicâ fiat aquâ.
Dixerunt malvam veteres, quòd molliat alvum:
Utere lactucis, & mollibus utere malvis.
Cur moriatur homo, cui salvia crescit in horto?
Contra vim mortis non est medicamen in hortis.
Salvia confortat nervos, manuumque tremorem
 Tollit, & ejus ope febris acuta fugit.
Salvia, castoriumque, lavendula, primula veris,
Nasturtium, athanasia hæc sanant paralytica membra.
Ruta comesta recens oculos caligine pellit.
Ruta viris minuit Venerem, mulieribus addit.
Ruta facit castum, dat lumen, & ingerit astum;
Cocta & ruta facit de pulicibus loca tuta.
De cæpis Medici non consentire videntur:
Fellitis non esse bonas, ait ipse Galenus;
Phlegmaticis verò multùm putat esse salubres:
Præsertim stomacho, pulchrumque creare colorem.
Contritis cæpis loca denudata capillis
Sæpè fricans capitis poteris reparare decorem.
Est modicum granum, siccum, calidumque sinapi,
Dat lachrymas, purgatque caput, tollitque venenum.
Crapula discutitur, capitis dolor, atque gravedo,
Purpuream violam dicunt curare caducos.
Ægris dat somnum, vomitum quoque tollit, & usum,
Urticæ semen colicis cum melle medetur.
Et tussim veterem curat, si sæpè bibatur:
Frigus pulmonis pellit, ventrisque tumorem.
Hyssopus purgans herba est è pectore phlegma,
Vultibus eximium fertur præstare colorem.

De cærefolio.

Appositum cancris tritum cum melle medetur,
Cum vino potum lateris sedare dolorem,

Sæpè

Sæpè solet, tritam si nectis desuper herbam,
Sæpè solet vomitum, ventremque tenere solutum,
Enula campanâ reddit præcordia sana;
Affirmant, ruptis quòd prosit potio talis.

De Pulegio.

Cum vino nigram choleram potata repellit,
Appositam veterem dicunt sedare podagram.

De Nasturtio.

Illius succus crines retinere fluentes
Illius asseritur, dentisque levare dolorem.

De Chelidonia.

Cæcatis pullis hàc lumina mater hirundo
(Plinius ut scripsit) quàmvis sint eruta, reddit.

De Salice.

Auribus infusus vermes succus necat ejus;
Cortex verrucas in aceto cocta resolvit.
Confortare crocum dixerunt exhilarando,
Artûs defectos, reficitque hepar, reparatque.

De Porro, & Aliis.

Reddit fæcundas mansum persæpè puellas;
Manantemque potes naris retinere cruorem.
Quod piper est nigrum, non est dissolvere pigrum,
Phlegmata purgabit, concoctricemque juvabit.
Motus, longa fames, vomitus, percussio, casus,
Ebrietas, frigus, tinnitum causat in aure.
Balnea, vina, Venus, ventus, piper, allia, fumus,
Porrum cum cæpis, faba, lens, fletusque, sinapi.
Sol, coitusque, ignis, labor, ictus, acumina, pulvis,
Ista nocent oculis, sed vigilare magis,

Fœniculum, verbena, rosa, & chelidonia, ruta,
Subveniunt oculis dirâ caligine pressis.
Nux, oleum, frigus capitisque, anguillaque, potus;
Ac pomum crudum faciunt hominem fore raucum.
Jejuna, vigila, caleas dape, tuque labora:
Inspira calidum, modicum bibe, comprime flatum.
Post cænam stabis, aut passus mille meabis:
Hæc benè tu serva, si vis depellere rheuma.
Si capitis dolor est ex potu, lympha bibatur:
Ex potu nimio nam febris acuta creatur.
Si vertex capitis, vel frons æstu tribulentur,
Tempora, fronsque simul moderatè sæpè fricentur,
Morellâ coctâ nec non calidâque laventur:
Istud enim credunt capitis prodesse dolori.
Qui fluxum pateris, si non caveas, morieris,
Concubitum, nimium potum, cum frigore motum.

Quædam de anno, & ejus partibus adjecta sunt.

Quattuor integro partes numerantur in anno,
  Æstas, autumnus, ver, glacialis hiems.
Poma dat autumnus, formosa est messibus æstas,
  Ver præbet flores, igne levatur hiems.
Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo,
Libraque, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Pisces.
Ipse Aries, Taurus, Gemini, sunt sidera Veris,
Æstatem Cancer, Leo trux cum Virgine complent.
Scorpius Autumnum duplici cum Lance, Sagittâ,
Hinc Hiemem Pisces, Capricornus, Aquarius addunt.

Exercitia 12. Mensium.

Vina focumque colit Janus, retinetque cruorem,
  Torret carnem, anni principiumque novi est.

Præ-

Præcepta de Valetudine conſervandâ.

Menſe Januario.

Sæpè lava, potato parùm, ne incidito venam,
  Jam victus calidus, vinum, & aroma juvant.
Sit modus in ſomno, cœlum mutato ſerenum:
  Ne Veneris genio deliciêre, vide.
Pallida cùm primo decreſcit Cynthia menſe,
  Robora ſtructuris apta reſcinde tuis
Vitis abundantes generabit prodiga fructus,
  Cùm tua, Vincenti, lux ſine nube fuit.

Menſe Februario.

Februus incídit venas, & ligna, gelatque,
  Excitat & Venerem, ſtercore ditat agros.
Frigore, piſce, ferinâque abſtine; aromata, vina,
  Elige, te hinc, ſanguis ſanior ut ſit, age.
Pharmaca, Clyſteres, thermas amplectere; venam,
  Ni tuſſi, aut febri corripiâre, ſeca.
In Petri Cathedrâ glacie ſi ſtringitur unda,
  Non perit ante dies hæc quater atque decem.
Horrida Matthiæ fuerint ſi frigora feſto,
  Poſt eadem multos ſunt toleranda dies.

Menſe Martio.

Mars arbuſta putat, luces cum noctibus æquat,
  Navigat, ingreditur balnea, ſulcat agros.
Balnea nunc rugas, ventoſæ, pharmaca, ſudor,
  Humores purgent, ſit vitulina cibus.
Aërem ama tepidum, vinum moderatiùs hauri;
  Sitque modus Veneri, dant fieri illa ſenem.
Si Mars ventorum, pluviæ ſit largus Aprilis,
  Efficient Majô gratiùs eſſe nihil.

Mense Aprili.

Aprilis celebrat lætô Paſchalia ritu,
Corpora mox purgat, jamque pateſcit humus.
Prolificâ in terrâ ut creſcit natura, vigetque,
Turget, & augmentum ſic quoque ſanguis habet.
Hunc igitur minuas, ſis frugi, rura frequenta,
Inſectare feras, inſére, arato, ſere.
Tum bonus eſt annus, feliciter omnia creſcunt,
Replentur cellæ, ac horrea læta ſimul.
Martius exſiccat, cùm terram humectat Aprilis,
Frigidulum, & ventos, aëra Majus habet.

Menſe Majo.

Majus venatur, floret, cogitque butyrum,
Adventu recreat cuncta creata ſuo.
Nunc epulis, cantu, fidibus, ſociiſque jocoſis.
Te recrea, mulſum, vinum, & aroma cape,
Diſpatiare, lava, ſaltum complectere cordis,
Hepatis & capitis ſanguine vena fluat.
Ignorat proprium quid ſit vænundare vinum,
Qui Maij finem non videt ipſe priùs.
Quando Jacobe dies tuus eſt, & Sancte Philippe,
Nil ſegeti duro frigore pejus erit.

Menſe Junio.

Junius arma gerit, tondet, ſolemque moratur,
Dat ſegeti ſpicas, & bona mella legit.
A rebus calidis, motu vehemente, lavacris,
Nunc abſtine, frigida edas, venam aperire cave.
Dilue vinum, horam ſomno impertire diurno;
Hinc tibi vivaci membra vigore valent.
Baptiſtæ fuerit cùm lux pluvioſa Joannis,
Ingrati meſſis plena laboris erit.

Menſe

Menſe Julio.

Julius indagat lepores, cervosque, reſcindit
Farra, canes affert, frigidiore lavat.
Pharmaca, ſecturam venæ, merum, aromata, thermas;
Vitabis, Zithum mitte, vetusque bibes.
Sint cibus aſparagi, lactucæ, cardama, acetum,
Miſtum oleis, ova, & viſcera farta ſuum.

Menſe Auguſto.

Eximit Auguſtus linum, fert gaudia cervis,
Dat pyra, maturat mala, canesque fugat,
Corporis ægroti, ſummè ni poſtulet uſus,
Sanguine ne venas evacuâſſe velis.
Abſtine aromatibus, thermis, ſomnóque diurno;
Ne nimiùm dominæ gratificare tuæ.
Alma DEI Genitrix, quâ luce aſſumpta putatur,
Promittit ſolis ſuavia vina jubar.

Menſe Septembri.

Muſtum September facit, Æqui-Diumque reducit,
Semen humi jactat, mala, nucesque quatit.
Indulge genio, medicamina ſumito certa,
Venas mitte, cutem ſcarificato, lava.
Poma, ferina, & aves proſunt: ſic vina, Venusque,
Immodicè lædunt: nam nimium omne nocet.
Poma dat, & dulces September ab arbore fructus,
Tum quóque caprinô paſcere lacte juvat.
Si lunâ creſcente legantur ab arbore poma,
Humanis remanent uſibus apta diu.

Menſe Octobri.

October nova vina bibit, comeditque ferinam,
Fertque frigus, frondes arboribusque rapit.

Coſtricem raphanus ſtatúmque ciens, caro tauri,
Anſeris atque feræ ſint alimenta tibi.
Venam aperi, thermas adhibe, hæc præterque columbis,
Gallinâ & pomis veſcere, muſta fuge.
Florida nudatur foliis cùm veriùs arbor,
Aſperitas hiemis ſumma venire ſolet.
Feſta dies Judæ cùm tranſiit, atque Simonis,
In foribus nobis eſſe putatur hiems.

Menſe Novembri.

Ligna vehit, celebrat Martini feſta November,
Veſcitur anſeribus, paſcit & ille ſues.
His mulſumque, & mella ferunt conferre diebus,
At tu ſume piper, vinaque pura bibe.
Hinc Venus, algores, thermæ, ſecturáque venæ,
Vitentur, firmet membra calore labor.
Circa Martini bibitur ſolemnia vinum,
Quod recreare ſuo corda ſapore valet.

Menſe Decembri.

Venatur, mactat, tribulat, ningitque December,
Seque lavat calidâ, ſolſtitiúmque facit.
Utere aromatibus, victu calido, & vitulinâ,
Pingue, merumque recens, fac moderatus ames.
Aëre age in tepido, capiti quid ſanguinis aufer,
Si potes, ac dominis debita ſolve tuis.
Quando prata virent natalis tempore Chriſti,
Tum Paſchæ feſto ſub nive tecta latent.

De ſedibus quatuor ventorum.

Aſper ab axe fluit Boreas, fugit Eurus ab ortu,
Auſter amat medium ſolem, Zephyrusque cadentem.
Flat Subſolanus, Vulturnus, & Eurus ab ortu,
Circius Occaſum, Zephyrúsque, Flavonius afflant.

E So-

E Solis medio emergunt, Notus, Africus, Auster:
Conveniunt Aquilo, Boreas, & Corus ab alto.

De
Quatuor humoribus humani corporis.

Quattuor humores in humano corpore constant,
Sanguis cum cholerâ, phlegma, melancholia.
Terra melancholicis, aqua confertur pituitæ,
Aër sanguineis, ignea vis choleræ.
Humidus est sanguis, calet, est vis aëris illi;
Alget phlegma, humetque illi, sic copia aquosa est;
Sicca calet cholera, & sic igni sit simulata,
Frigens sicca melancholia est terræ assimilata,

Complexio sanguinea.

Naturâ pingues isti sunt, atque jocantes,
Rumoresque novos cupiunt audire frequenter;
Hos Venus, & Bacchus delectant, fercula, risus:
Et facit hos hilares, & dulcia verba loquentes.
Omnibus hi studiis habiles sunt, & magis apti;
Qualibet ex causa non hos facilè excitat ira.
Largus, amans, hilaris, ridens, rubeique coloris,
Cantans, carnosus, satis audax, atque benignus.

Complexio cholerica.

Est humor choleræ, qui competit impetuosis;
Hoc genus est hominum cupiens præcellere cunctis:
Hi leviter discunt, multum comedunt, citò crescunt:
Inde & magnanimi sunt, largi summa petentes.
Hirsutus, fallax, irascens, prodigus, audax;
Astutus, gracilis, siccus, croceique coloris.

Complexio phlegmatica.

Phlegma dabit vires modicas, latosque brevesque,
Phlegma facit pingues, sanguis reddit mediocres

Otia non ſtudio tradunt, ſed corpora ſomno;
Senſus hebes, tardus motus, pigritia, ſomnus,
Hic ſomnolentus, piger, & ſputo crebriore:
Eſt huic ſenſus hebes, pinguis, facie color albus.

Complexio melancholica.

Reſtat adhuc triſtis choleræ ſubſtantia nigra,
Quæ reddit pravos, pertriſtes, pauca loquentes.
Hi vigilant ſtudiis, nec mens eſt dedita ſomno:
Servant propoſitum, ſibi nil reputant fore tutum.
Invidus, & triſtis, cupidus, dextræque tenacis;
Non expers fraudis, timidus, luteique coloris.

Indicia redundantis ſanguinis.

Si peccet ſanguis, facies rubet, extat ocellus,
Inflantur genæ, corpus nimiúmque gravatur.
Eſt pulſusque frequens, plenus, mollis, dolor ingens,
Imprimis frontis, fit conſtipatio ventris.
Siccaque lingua, ſitis, ſunt ſomnia plena rubore,
Dulcor adeſt ſputi, ſunt acria dulcia quæque.

Indicia redundantis cholera, ſive flava bilis.

Accuſat choleram dextræ dolor, aſpera lingua,
Tinnitus, vomitusque frequens, vigilantia multa,
Multa ſitis, pinguisque egeſtio, tormina ventris,
Nauſea fit, morſus cordis, langueſcit orexis.
Pulſus adeſt gracilis, durus, veloxque, caleſcens,
Aret, amareſcitque, incendia, ſomnia fingit.

Indicia abundantis phlegmatis.

Phlegma ſupergradiens proprias in corpore leges,
Os facit inſipidum, faſtidia crebra, ſalvias,

Costarum, stomachi, simul occipitisque dolores,
Pulsus adest rarus, tardus, mollis, quoque inanis.
Præcedit fallax phantasmata somnus aquosa.

Indicia abundantis melancholiæ, sive atræ bilis.

Humorum pleno dum fæx in corpore regnat,
Nigra cutis, durus pulsus, tenuisque urina,
Sollicitudo,, timor, tristitia, somnia tetra;
Acescunt ructus, sapor, & sputaminis idem,
Lævàque præcipuè tinnit, vel sibilat auris.

De phlebotomia, sive sectione venæ.

Lumina clarificat, syncerat phlebotomia,
Mentes & cerebrum; calidas facit esse medullas,
Viscera purgabit, stomachum, ventremque coërcet,
Puros dat sensus, dat somnum, tædia tollit.
Hi sunt tres menses, Majus, September, Aprilis,
In quibus eminuas, ut longo tempore vivas.

De impedimentis phlebotomiæ.

Frigida natura, & frigens regio, dolor ingens,
Balnea post subitò, minor ætas, atque senilis.
Morbus prolixus, potûs repletio, & escæ,
Et fastiditi tibi non sunt phlèbotomandi.
Exhilarat tristes, iratos placat, amantes
Ne sint amentes, phlebotomia facit,
Sanguine subtractô sex horis est vigilandum;
Ne somni fumus lædat tibi sensile corpus.
Ne nervum lædas, non sit tibi plaga profunda;
Sanguine purgatus ne carpas protinùs escas.

Quæ post phlebotomiam vitanda.

Omnia de lacte vitabit ritè munitus,
Et vitet potum phlebotomatus homo,

Frigida vitabit, quia sunt inimica minutis,
Interdictus eritque minutis nubilis aër.
Spiritus exultatque minutis luce per auras,
Omnibus apta quies, & motus sæpè nocivus.
Ætatis mediæ multum de sanguine tolle:
Ver tollat duplum, reliquum tempus tibi simplum.
Primâ cæna die sit misso sanguine parca,
Lux abeat lætis aucta secunda modis.
Tertia sed placidæ debetur tota quieti,
Quarta, & quinta sibi molliùs esse volunt.
Balnea sexta petit: mox septima colligit auras,
Fertque vagos circum rura, nemusque pedes.

De
Duodecim mensibus anni totius.

Januarius.

Mensis amat tepido Jani decurrere victu,
Et refici gratô sæpè liquore jubet.
Vena tibi nullos exudet secta cruores;
Sed calidâ fás est mergere corpus aquâ.

Februarius.

Februa olus, volucresque cibos odore palustres,
Esseque inertificâ febre timenda solent.
Pharmacà tunc hauri, tunc scinde in pollice venam,
Et calido multùm flumine membra fove.

Martius.

Martius humores & terræ, & corporis auget,
Tunc ratio est puri magna tenenda cibi.
Dulcia tum prosunt acri condita sapore,
Pharmaca non prosunt, venam aperire nocet.

Apri-

Aprilis.

Frigore vim lentæ revocat telluris Aprilis,
 Tunc etiam eſt tenuis perque forata cutis.
Tunc intus ſunt aucta magis, ſuntque omnia plena,
 Solvere ſe venter, vena aperire jubet.

Majus.

Omnia jam florent, jam formoſiſſimus annus,
 Jamque ſibi cuncti molliùs eſſe volunt.
Balnea nunc cole, nunc ſit pharmaca ſumere cura,
 Et tibi nunc, miſſô ſanguine, vena fluat.

Junius.

Junius & gaudet gelidis, & paſcitur herbis,
 Vivifico humori tunc inimica fuga.
Lætitiâ & recreet tunc mentem blanda voluptas,
 Affligat corpus nec medicina tuum.

Julius.

Aëris ignifluos intendit Julius æſtus,
 Hoc brevior ſomno tempore danda quies.
Balnea vitentur, nec venam tangere ferrô,
 Nec dominæ petulans accubuiſſe velis.

Auguſtus.

Ipſe etiam Auguſtus ſomnum reſtringit, & eſcas,
 Et Veneris cupidos gaudia ferre vetat.
Pharmaca nemo bibat, laceret neque corpora ferrô,
 Nec gelidas intrà delicietur aquas.

September.

Poma dat, & gratos September ab arbore fructus,
 Tunc etiam preſſo paſcere lacte capræ,

Phar-

Pharmaca nil prohibet tunc ſumere, ſcindere venam,
Nec tuus externum vitet aroma cibus.

October.

Octobri offertur venatio, vina, volucres,
Utere, nec dubites non tenuiſſe modum.
Sic tamen ut ne oneres nimio præcordia victu,
Cùmque modo ſtudeas, non tenuiſſe modum.

November.

Eſſe ſalutaris perhibetur mulſa Novembri,
Gingiber, & dulci ſiſſile melle natans.
Tum neque ſæpè laves, Veneris neque ſacra frequentes;
Ante ſenex tempus ne videare ſuum.

December.

Juxta menſe focum calidis utare Decembri,
Tunc jaceant menſis gramina nulla tuis.
Incidas capitis defenſi à frigore venam,
Cinnameoque tuus fragret odore calix.

De inſanâ ſalutis potatione.

Quò tibi potarum plus eſt in ventre ſalutum,
Hoc minus epotis hiſce ſalutis habes.
Contingant utinam tales tibi mille ſalutes,
Non equidem invideo, mî ſatis una ſalus.
Una ſalus, ſanis nullam potare ſalutem,
Non eſt in potâ vera ſalute ſalus.

De diæta.

Si tardè cupis eſſe ſenex, utaris oportet,
Vel modicô medicè, vel Medicô modicè.
Sumpta cibus tanquam lædit medicina ſalutem,
At ſumptus prodeſt, ut medicina, cibus.

De

De Tabaci fiſtula.

Dum ſtruit inſidias turdis, tum decipit auceps,
Ut capiantur aves, fiſtula dulce canit.
Fiſtula dulce ſapit, Coſmophile, fulta tabaco;
Illa ſed ad Stygias fiſtula ducit aquas.
Commendor paſſim, ſed falſò, fiſtula vitæ,
Fiſtula non vitæ, fiſtula mortis ero.

De Tabaco.

Herbarum meritò poſſim reginâ vocari,
Et placitum Medicis, ut medicéa vocer.
Confuſumque volunt Panacéæ nomen, & uſum;
Sed mihi, ſi quæras, plùs Medicéa placet.
Gallus ab Eoâ me gente Nicotius hauſit,
Venit ab illuſtri ſic mihi fama viro.

De Morte.

Quotquot ſunt artes, non eſt præſtantior ulla,
Quàm benè felici diſcere morte mori.
Qui Chriſtum diſcit, ſatis eſt, ſi cætera neſcit.
Mens benè diſcernit, quando terreſtria ſpernit.

Carmina Leonina.

Omne bonum, quod habes, contaminat unica labes.
Chriſto devotum ſtudeas cor tradere totum.
Dic homo, quid ſperes? qui mundo totus inhæres?
Tecum nulla feres, licèt omnia ſolus haberes.
De re terrenâ procedunt mille venena.
Dum cor non orat, nec quidquàm lingua laborat,
Vive Deo ſoli, quod amat caro, quærere noli.
Si timeas bellum, facias cum carne duellum.
Cor erit illæſum, ſervans in pectore JESUM.
Audi doctrinam, ſi vis vitare ruinam.

Plus

Plùs probo thesaurum docti, quàm divitis aurum.
Serò doctus erit, nimiùm qui ludere quærit.
Bacchus, & argentum mutant mores sapientum.
Stellis, atque herbis vis est, sed maxima verbis.
Qui bona consuescit, semper cum laude senescit.
Scire tuum sordet, cùm crimen pectora mordet.
Qui scit, laudatur, qui nescit, vituperatur.
Qui sapit, hic spernit, quidquid mutabile cernit.
Nil valet argentum, nilque annis vivere centum.
Transit ut aura levis vita caduca brevis.
Est animus fædus, pangens cum crimine fœdus.
Peccatum est porcus, cui denique panditur orcus.
Semper in æternum nox obscurabit avernum.
Tortores nigri non sunt ad verbera pigri.
Tempus hoc est flendi, simul & peccata luendi.
Mentes flecte reas, crimina facta fleas.
Omnis origo mali processit ab arbore mali.
Hôc mortem pomô suscipit omnis homo.
Si malè fecisti, mox respice vulnera Christi.
Nunquàm peccabis, si Christum semper amabis.
Qui non lugebit, cœlesti luce carebit.
O felix fletus! quo sis in sydere lætus.
Post vitæ planctus resonabit in æthera cantus.
Cùm pateris pœnam, mentem dabit illa serenam.
Rex condit legem, servat lex condita Regem.
Rex dat jura gregi, reddit grex omnia Regi.
Immutant mores hominem, cùm dantur honores.
Rebus tranquillis metuas adversa sub illis.
Verus amicus erit, qui plùs me, quàm mea quærit.
Dans placitum vultum, donat sine munere multum.
Consilio factum non pœnitet esse peractum.
Dandi tolle moras, citò dando munus honoras.
Qui leviter credit, deceptus sæpè recedit.
Quidquid nix celat, solis calor omne revelat.
Fœmineus Princeps non est in honore deinceps.
Se minus afflictum sentit, qui prævidet ictum.

Si

Si ſtudeas nummis, præfers mox infima ſummis.
Ut levis eſt ventus, levis eſt ſic vana juventus.
Quot Majo flores, tot ſunt in amore dolores,
O adoleſcentes, ad cœlum mittite mentes.
Tempora tranſibunt, & gaudia vana peribunt.
Tranſit, ut unda fluens, tempus, & hora ruens.
Quid caro? vilis humus, quid carnis gloria? fumus.
Parva juventutis plerumque & cura ſalutis.
Abjice fœtorem Veneris, ſectare pudorem.
Ut pater incedit, ſic greſſus filius edit.
Gaudia vera petas, quæ nunquàm terminat ætas.
Incraſſata caro guſtat cœleſtia rarò.
Non pulchrum vultum, ſed cor tibi reddito cultum.
Sub facie comptâ ſit mens ad turpia prompta.
Integritas morum juvenem facit eſſe decorum.
Vina, joci, luſus, juvenum proh peſſimus uſus!
Copia nil rerum, mors ultima linea rerum.
Ut flos Vere perit, ſic homo pulvis erit.
Miles amat bellum, Venus otia, cultor agellum.
Miles, qui eſt fortis, ridet diſcrimina mortis.
Miles laudatur, quem fœmina non comitatur.
Si vis eſſe pugil, jugiter eſto vigil.
Si juſtè certas, faciunt ſpes ſydera certas.
Injuſtum bellum non eſt, mihi credito, bellum.
Dux leo tyrones etiam facit eſſe leones.
Fortis adeſt miles? dux auſus facit heriles.
Lentus adeſt miles? greſſus præſtabit aniles.
Roboris, aut artis par eſt victoria martis.
Gratia fit pluris, quàm tota ſcientia juris.
Qui ſpernit munus, vix eſt ex millibus unus.
Certamen, lites, rixas, & jurgia vites.
Audi, cerne, tace, poteriſque quieſcere pace.
Qui miſeros ſpernit, ſibi callem ad tartara ſternit.
Judicis in cunctis ſit juſta potentia punctis.
Qui falsò jurat, nihil immortalia curat.
Teſtibus & ſcriptis cauſam decidito victis.

Va

Vix eſt in mundo dives, qui dicat, abundo.
Fac benè, dum vivis, poſt mortem vivere ſi vis.
Hoc eſt conſuetum, comitantur triſtia lætum.
Cæcus agens cæcum, facit hunc procumbere ſecum.
Mundum qui ſpernis, regnis gaudeto ſupernis.
Redde Sacerdoti ſacrati munera voti.
Mens gaudet fortis, dum linquit vincula mortis.
Concomitante DEO, non niſi ſalvus eo.
Grati parentes faciunt gaudere parentes.
Quò Satanas ludit, multos in tartara trudit.
Sume crucis ſcutum, faciet te in tartara tutum.
Noctu luſores animæ ſunt ſemper oſores.
Parcito ſæpè cibis, & ſic annoſior ibis.
Omnibus eſt notum, poſt ovum ſumere potum.
Valdè frequens hauſtus non eſt mihi credite fauſtus.
Balnea, vina, Venus vitæ ſunt noxia penus.
Sic homo fit mutum per fortia pocula brutum.
Vinum ſume vetus, ſi vis veteraſcere lætus.
Officit hic menti, dans pinguia fercula ventri.
A tenui cæna eſt agilis mens, atque ſerena.
Eſt valdê inſanus, qui non vult vivere ſanus.
Languor membra ligat, dum me via longa fatigat.
Fiunt robuſti pueri, & cum pulte venuſti.
A puero duris opus eſt aſſueſcere curis.
Aſpera qui aſſuevit, Medicos, & pharmaca ſprevit.
Vince tuum corpus, ne fiat poſtmodò porcus.
Virtutes plantas, lauros lucrabere ſanctas.
Fili cede malis, ſi vis pius eſſe Sodalis.
Somnus longus obeſt, breviorem carpere prodeſt.
Mors nocte hac vult te, nummos jam deſere ſtulte.
Pinguis ubi tellus, piger hic ſolet eſſe popellus.
Neſcit homo verè, quid habet, niſi ceſſet habere.
Cura facit canos, ſolet & conſumere ſanos.
Dum non lucraris, mox paupertate gravaris.
Ejicias ſervos, quos noveris eſſe protervos.
Vir, precor, uxori: frater ſuccurre ſorori.

Luce patet clarâ, fratrum est concordia rara.
Est casus rarus, quòd non sit dives avarus.
Læta quies fessis est, dum venit optima messis.
Insta, ne cesses, aderunt post semina messes.
Qui capit uxorem, litem capit, atque dolorem.
Quæ semel incæpit dominari fœmina, strepit.
Styx furias, rixas causat cum murmere fixas.
Sors citò mutatur, nobiscum quippe jocatur.
Nunquàm dives erit, multùm qui ludere quærit.
Luxuriat vitis, nisi falce putare velitis.
Regnum cœlorum requies est plena laborum.
Non mortem flebo, quia tecum Christe manebo.
Quos senium frangit, mors illos proxima tangit.
Tempora transibunt, sed non benefacta peribunt.
Illi vita perit, quisquis pereuntia quærit.
Tempus adest flendi, senibus peccata luendi.
Robur decrescit, senibus prudentia crescit.
Rumpite jucundi laqueos, & retia mundi.
Jure tibi plaudes, solo si Numine gaudes.
Quodvis momentum est senibus gradus ad monumentum.
Multa senex plangit, quando mors instat, & angit.
Numen ad immensum nunc totum vertito sensum.
Atria sunt cœli menti patefacta fideli.
Sic sapiens spernit bona, quæ præsentia cernit.
Ut veteres panni fluxêre velociter anni.
Tecum nulla feres, licèt omnia solus haberes.
Est hæc vita brevis, transit ut aura levis.
Omnis homo in mundo fragilis stat sicut arundo.
Haustum sæpè merum faciet citò prodere verum.
Fama repleta malis velocibus evolat alis.
Ne prope serpentem procumbas virus habentem.
Cùm sis in mensa, tunc & de paupere pensa.
Non animo tristi fer pœnam, quam meruisti.
Transit jucundi sic omnis gloria mundi.
Qui pascit corvos, DEUS haud nos deseret orbos.

Volvitur in pannis, qui nullis clauditur annis.
Væ misero mundo, venies cùm Christe secundò.
Hic miser est, & erit, mundi qui prospera quærit.
Ut mala declines, felices respice fines.
Ad mensam residens, & pani non benedicens;
Hic residet ut sus, & surgit ut alter asellus.
Qui gustus varios elementa per omnia quærit,
Et mortem, & morbos contrahit ante diem.
Ne pecces, DEUS ipse videt, tuus angelus adstat,
Accusat Satanas, culpæ mens conscia damnat,
Aspide quid pejus? tigris, quid tigride? dæmon,
Dæmone quid? mulier, quid muliere? nihil.

Raræ Germanorum inventiones.

Bombardæ, tormenta, typus, sculpturáque chalci,
Et pyrius pulvis, fixio Mercurii:
Commoda fornacis, Cerevisia, Charta, Chymia,
Hæc sunt Germanæ Gloria certa manûs.

Navis, avis.

Prora caput, cauda est puppis, venterque carina,
Alæ sunt remi, totaque navis, avis.

Homo constat 4. elementis.

Cuncta elementa gero, caro terra est, & calor ignis,
Naribus aër inest, bulla ministrat aquam.

Ad Zoilum.

Zoile sis bonus hîc, frontemque exporrige lætum,
Nulla cavillandi nam tibi causa datur.

De Calendis, Nonis, & Idibus.

Principium Mensis cujusque vocato Calendas:
Majus sex Nonas, October, Julius, & Mars:

Quat-

Quattuor at reliqui: tenet Idus quilibet octo,
Inde dies alios omnes dic esse Calendas:
Quas retrò numerans dices â mense sequenti.

Diversi versus.

Non datur in Mundo præstantior herba tabacô,
Recreat ingenium, lætificátque caput.
Sunt duo, qui cupiunt unam sibi ducere sponsam,
Cui fortuna favet, sponsa petita manet.
Flos fueram factus, florem fortuna fefellit,
Florentem florem florida Flora fleat.
Conturbabantur Constantinopolitani,
Innumerabilibus Solicitudinibus.
Funis ovem binam per spinam traxit equinam,
Hinc surrexit equus, pendet utrinque pecus.
Prima mihi Mundi facies placet, ultima terret:
Ultima dum terret, nec mihi prima placet.
Æri cur hæres? etas æris non eris hæres,
Non eris æris herus, servus at æris eris.
Quod sum, lector eris, quid eris? quæris, morieris,
Nolis, sive velis, putre cadaver eris.
Est liber iste meus, procul hinc discedite fures,
Una nequit Dominos res habuisse duos.
Est DEUS omnipotens, est omnipotensque MARIA,
Imperat ille potens; Impetrat illa petens.
Quod semel est piscis fallaci cuspite læsus,
Unca putat cunctis æra subesse cibis.
Dat Galenus opes, dat Justinianus honores,
Absit Aristoteles, ibit uterque pedes.

Decalogus DEI.

Unum crede DEUM, nec jures vana per Ipsum;
Sabbata Sanctifices, habeas in honore parentes:
Sis non occisor, Mæchus, fur, dictor iniquus:
Non sponsam alterius, nec rem cupias alienam.

Prophetæ & Poëtæ.

Illi de rebus prædicere vera futuris,
Hi de præteritis dicere falsa solent.

De vita & morte.

Ad mortem sic vita fluit, velut ad mare flumen,
Vivere nam res est dulcis, amara mori.

Ad Medicos & Jurisconsultos.

Ulceribus Galene vales tantummodò nostris,
Stultitiâ nostrâ Justiniane sapis.

Venus.

Principium dulce est, at finis amoris amarus,
Læta venire Venus, tristis abire solet.
Flumina quæsitum sic in mare dulcia currunt,
Postquàm gustârunt æquor, amara fluunt.

In quandam.

Forma tibi famam peperit: sed filia matrem
Occidit, formam non bona fama bonam.

In Marcum Stupidum.

Est in naturâ vacuum, cur Marce negâsti?
Cui tamen ingenii transit inane caput.

Epitaphium Athei,

Mortuus est, quasi victurus post funera non sit,
Sic vixit, tanquàm non moriturus erat.

Orbis.

In mundo nil constat: in orbem vertitur orbis;
Quid mirum, recti quòd sit in orbe nihil?

Auli-

Aulicus.

Si bonus es, melior, non major tempore fies:
Si magnus, major tempore, non melior.

Venus vaga.

Nulla ſedes Veneri, levis eſt, interq̃ue Planetas
Ponitur, haud inter ſidera fixa Venus.

Politicorum axioma.

Diſſimula, ſimula, quoties occaſio poſcit,
Moribus ut morem, temporibusq̃ue geras.

Tres Saturni filii.

Theologi ambigui, Juriſtæ lenti, & iniqui,
Immundi Medici, mundus ab his regitur.

In medio virtus.

Ambulat in medio mulier pompoſa virorum,
Virtus jam medium perdidit ergo locum.

Remedium amoris.

Igni ſubtrahito lignum, jejunia ſervans,
A muliere ſede ſicut ab igne procul.

Ad Zoilum.

Laudatur meritò laudator, amatur amator,
Ergo ut lauderis, lauda, ut ameris, ama.

SENTENTIÆ.

Carmine expreſſa.

Parcus veſcendo, parciſſimus eſto bibendo.
Qui ſemel eſt, DEUS eſt, bis homo, ſed beſtia, qui ter,
Dæmon, qui quater eſt, qui ſæpiùs, eſt ſua mater.

Per raros paſtus carnales deprime faſtus,
Exiguo ventrem diſce nutrire cibo.
Utilior prorſus per iter tibi fidus amicus,
Quàm ſint in loculis plurima lucra tuis.
Si quis amat mea plùs, quàm me, ſimulator amici.
Non mihi ſinceri nomine dignus erit.
Qui magis alterius proprio quàm flagrat amore,
Hunc prope fontis aquas enecat ipſa ſitis.
Artis inops, artem temerè faſtidit, & odit.
Tardior à tardo dum fertur aſellus aſello,
Prælia miſcentur pluribus apta jocis.
Cornigeris eſt cornutus magis Euclio cervis,
Si ſe vicinis eſſe in amore putet.
Non rarò mediis miſerè merguntur in undis,
Qui benè ſe ſolos poſſe natare putant.
Ne præbe placidas horum ſermonibus aures,
In quorum latitat guttere lingua duplex.
Ferre moras, moderari iram, contemnere riſus,
Dura pati, quosvis aulica vita docet.
Is debet quæri, qui vultque, poteſtque mederi,
Quidquid & exteriùs, languet & interiùs.
Ad Dominum, quoties premeris, tua vota levato,
A Domino auxilium, non aliunde, feres.
Si tibi cum juſtis res eſt, in pace quieſcis.
Verte tuas procul à ſpurcis ſermonibus aures,
Et quidquid viſu turpe, videre cave.
Jejunes, inopi munusque largire, precare,
Si cupis ætheriæ tecta ſubire domûs.
Dat ceraſum triplices ipſis utentibus uſus,
Exterior ſuccus ſanguinis auctor erit.
Qui latitat, ſtomachum valet expurgare, lapillus,
Ex nucleo ſumpto calculus ipſe perit.
Quo conviva cibo terretur? caſeo ab ipſo:
Is ſiquidem veniens nil ſupereſſe docet.
Peſſùm abeunt ſubitò, quæ ſunt communia multis,
Quæ ſunt communes, dilacerantur opes.

Ut

Ut mundus fias, Mundi commercia vites.
Quidquid agis, prudenter agas, & respice finem.
Consilium fido tribuit quod amicus amico,
Hoc medicamenti vicerit omne genus.
Consultatio lenta, & cum melioribus esto,
Præceps consilium pœnituisse facit.

De cursu Planetarum.

Accipe, quo spatio perlustrent signa Planetæ:
Annis triginta Saturnus conficit Orbem;
Signiferum absolvit duodenis Juppiter annis;
Mense quater senô trux circuit astra Gradivus;
Curriculum Titan bis senis mensibus implet;
Perficit ipsa Venus totidem: totidem quoque Mercurs;
Omnem mense polum Phœbe nocturna pererrat.
Græci manè diem capiebant Solis ab ortu:
Vespere Judæi, scrutantes sidera cœli:
Christicolæ incipiunt medio sub tempore noctis.

Ordo 7. Planetarum.

Saturnus prior est, hinc Juppiter, inde Gradivus,
Pòst sequitur Phœbus, Cypria quinta Venus,
Mercurius sextus; verùm ultima, & infima luna est.
Ter denis gradibus signum distinguitur unum,
Bis tricena Gradus memoratur habere minuta.
Porrige pauperibus, Dominus donata reponet,
A Domino recipit, qui sua sæpè dedit
Si foret una fides, pietas simul omnibus una,
Numinis æterni quâ celebretur honos:
Unus amor pacis totum si temperet orbem,
Unæ si leges, legitimæque forent:
Una moneta, modus quid mensurantibus unus,
Pondus idem, certè hæc vita beata foret.

De ducenda uxore.

Dic, precor, uxorem qualem ducam? anne puellam?
  Hæc forsan veniet non satis apta tibi.
An vetulam? dominam quis posset ferre tonantem?
  An vetulam? tolerat quis patienter anum?
Fœcundam? fœcunda domum tibi prole gravabit:
  An sterilem? sterilis non decus arbor habet.
An ditem? nihil est magis intolerabile dite:
  Ast inopem? quid opis ferre valebit inops?
Pauciloquam? non te poterit recreare loquendo:
  Verbosam? mulier res onerosa loquax.
Formosam? variis est subdita forma periclis:
  Deformem? pœnam ducere nunquid ames?
Non igitur ducenda uxor, cùm maxima semper
  Ducenti uxorem damna timenda forent.
Est homo, qui linguâ clam me insectatur acerbâ,
  Sed coram me nil promit ab ore suo.
Non sunt digna legi, quæ sunt contraria legi:
Nocte, dieque leges, si vis cognoscere leges.
Quid mortalis homo jactas te? quidve superbis?
  Cras forsan fies pulvis, & umbra levis.
Quid tibi opes prosunt? quid tunc tibi magna potestas?
  Quidve honor? aut præstans quid tibi forma? nihil.
In quo nulla fides, in eo tu quomodo fides?
  Nunquàm tu fides, quòd sit in orbe fides.

Lepos, lepus.

In sylvis lepores, in verbis quæro lepóres,
Sylva tenet leporem, sapientis lingua lepórem.

Amore, More, ore, re.

Quattuor his verus noscetur amicus: Amore,
  More item, & Ore, simul Re probet ille fidem.

Caper, Aper.

Rodit dente Caper vites; hujus caput aufer,
Omnia vastabit dente timendus Aper.

Lex. Rex. Grex.

Lex Regina, Magistratus Rex, Grexque popellus,
Si benè habent, tunc & publica res benè habet.
Lex ceu Rex mutus, Rex ceu Lex viva gubernat,
Grex Regi, & Legi paret utrique volens.

Ebrietas.

Visus hebet, fumant artus, cerebrumque rotatur.
Nec facit officium pes, animusque suum.

Discipulus.

Esse senex si fortè velis celebrandus honore,
Ars mentem à puero formet honesta tuam.

Doctrina.

Si noscent homines jam nunc pubentibus annis,
Doctrinæ & Sophiæ quæ foret utilitas:
Non Sinerent sine fruge diem transire vel unum,
Imò darent noctes artibus ingenuis.

De numero dierum anni.

L. X. V. tria C. sex horas, continet annus,
Hæ bissextilem dant quartô quolibet annô.

Proprietas 4. partium anni.

Ver præbet flores, calidum ver fervet, & humet:
Æstas sicca calet, formosa est messibus, æstas:
Musta dat, & morbos Autumnus, siccat, & alget:
Friget, & humet Hiems, Glacie, & nive flumina stringit,

De exordiis 4. partium anni.

Veris dux Aries, æſtatis Cancer habetur:
Libra dat Autumnum, fert Hiememque Caper.

De temperantia.

Vivere vis ſanus multos feliciter annos,
Veſcendo fines transgrediare, cave.
Sume cibos modicos, nimius vitetur & hauſtus,
Sanus ſi membris expetis eſſe ſenex.
Fila ſuæ vitæ ſeros producit in annos,
Qui parcè bibit, & parcè alimenta capit.
Vivis, non ut edas, ſed edes, ut vivere poſſis,
Eſſe decet, vivas, vivere non ut edas.

De amico vero.

Charior argentô, & fulvô pretioſior aurô,
Eſt verus veræ cultor amicitiæ.
Auro præpollet vetus, atque fidelis amicus,
Vincit & argenti pondera verus amor.
Quisquis amat ſibi dilectos, nec amatur ab illis,
Nil agit, & verè dicitur eſſe miſer.

De corde bono.

Non holocauſta DEUS, ſed corda fidelia quærit,
Hæc qui dona gerit, ſine beatus erit.

COR.

Dimidiam, & plenam lunam cum principe Romæ,
Poſtulat â nobis, qui regit aſtra, DEUS.

Aptitudo, & aptum.

Fauſta valetudo gazas ſupereminet omnes,
Vim tamen atrocis ſentit & illa necis.

Can-

Candida thesaurò probitas pretiosior omni est,
Turpibus & vitiis semper abesse procul.
Debita probatis si desit gratia verbis,
Dicere nil præstat, quàm mala multa loqui.

Aqua.

Pessimus hic fons est, fontis neque nomine dignus,
Ex aliis in quem lympha ferenda locis.
Undique per montes currunt in flumina fontes,
Fonticuli cursim flumina magna petunt.

Ars.

Res valet, ars præstat, si res perit, ars mihi restat,
Quandoquidem nullis casibus exposita est.
Artibus ingenuis non res præstantior ulla,
Quippe suos semper quæ comitentur heros,

Asinus.

Sunt asini, & certè ante alios hoc nomine digni,
In tergis quorum sarcina nulla fuit.
Summa rudes asini rerum fastigia scandunt,
Maximus hoc illis tempore venit honor.

Auxilium.

Tam grave nemo hominum servat sub pectore vulnus,
Quin Christus modicâ tollere id arte queat,
Si te des vitiis pulchrâ virtute relictâ,
Illicò divinâ destitueris ope.

Bellum.

Martem quisquis amat, non verus amator JESU est,
Hic siquidem pacem suadet, at ille necem.
Grandia scintillæ præbent incendia parvæ,
Voce super minimâ classica ad arma vocant.

Bonum

Bonum.

Protinus & vitiis nosmet consuescimus ultrò,
  Lentum ad virtutes dirigimusque gradum.
Qui bona cognoscit, nec eorùm commoda carpit,
  Se fatuum monstrat corde volente virum.

Cantus.

Musica depellens tristes de pectore curas,
  Secum vult nullum fletibus esse locum.
Ut relevet miserum fatum, solitosque labores,
  Ævi sit dulcis Musica noster amor.

Caput.

Cùm dolor afflixit capitis penetralia nostri,
  Cætera quî possunt membra valere benè?

Casus.

Qui petit alta, facit, multi admirentur ut illum,
  Sæpèque cum damno tendit ad ima suo.
O nimium felix, & terque, quaterque beatus,
  Quisquis fœmineos effugit arte dolos.

Convitium.

Conturbare cave, non est placare suave,
  Infamare cave; nam revocare grave.
Qui studet alterius famam violare loquendo,
  Supplicii reddit se sine fine reum.

Crocus.

Nobile aroma crocus, vires, & gaudia membris,
  Sufficit, & dulci replet amore jecur.
Hepar amat crocus, amissum redditque vigorem,
  Debilibus membris, causaque lætitiæ est.

Igna-

Ignavia.

Qui fuit in ſtudio plùs, quàm decet, antè remiſſus,
Nil mirum, ſi idem poſteà vivat inops.
Quisquis, dum primi floret ſibi temporis ætas,
Eſt piger, in ſenio ſpretus, & Irus erit.

DEUS.

Quò metus eſt major, quò ſunt graviora pericla,
Hoc propior nobis aſſolet eſſe DEUS.
Humanis temptis ſuperum ſectare Parentem,
Illi fide, tuæ mortis & eſto memor.
Fœda timor Domini ſceleris contagia pellit,
Atque idem Sophiæ eſt omnis origo bonæ.
Chriſte mihi da te, ne quando ſegreger à te,
Corporis, ac animæ ſit tibi cura meæ.

Sequuntur aliquot ænigmata Poëtica.

DEUS.

Dic mihi, quæ res ſit cœlo ſublimior ipſo,
Celſior ætheriis ſitque putata locis.
Contingatque lacus Stygios, Maneſque profundos,
Occultum ſit, quò non meet illa, nihil.
Longior immenſo terrarum prominet orbe,
Latior æquoreis conſpiciatur aquis,

De eodem.

Principium cunctis, cunctis do denique finem,
Ipſe Ego fine ſimul principioquè carens.

DEUS Pater.

Mater nulla mihi, nullus Pater, ipſe Deorum,
Atque hominum ſolus ſum tamen usque Pater.

DEUS

DEUS Filius.

Sum,quod eram; nec eram,quod ſum:modò dicor utrumq;
Mater homo, pater eſt mî ſine fine DEUS.

DEUS Spiritus Sanctus.

Nec gignor, nec gigno: ſed exeo Numine Numen
De gemino, triplici eſt Numine Numen idem.

De eodem.

Matre carens, expers exſiſto Patris, quoque Nati,
Ipſe tamen Nati Spiritus, atque Patris.

Chriſtus DEUS, & homo.

Dic, ubi terra levem cœli ſupereminet axem?

Reſponſio.

E terrâ verum corpus Salvator JESUS
Aſſumpſit, quæ nunc cœlos ſupereminet omnes.

Chriſtus, & Joannes Baptiſta.

Poſtulat â ſervo Dominus cœleſtia jura,
Cùm res in famuli non foret illa manu.
Præſtitit officium, Domino poſcente, miniſter,
Idque ſupra vires (dic mihi quid ſit) erat?

Reſp.

Divus Joannes â Salvatore rogatus,
Ut ſibi jordanis ſacra lavacra daret.

Chriſtus Agnus DEI, & Leo de tribu Juda.

Omnia conveniunt in Chriſto, aptèque cohærent,
Concordant vitæ dogmata Sancta piæ.

Re

Re tamen exceptâ quâdam, quæ diſſona ſic eſt,
Ut diſtant ater, candidulusque color.

Reſp.

Hoc eſt, quod paſſim vocat hunc ſcriptura leonem,
Indomitâ multùm qui feritate valet.
Ipſe locis aliis mitem ſe prædicat agnum,
Ut res vix ſecum diſcrepet ulla magis.

Aliud.

Vir bonus, & juſtus veræ pietatis amator,
Orabat reprobum ſupplice voce virum:
Quodque petebatur, toto præſtantius orbe
Munus erat, dedit hoc improbus ille bono.

Expoſitio.

Joſeph orabat Pilatum, ut Chriſtum crucifixum ſibi daret ſepeliendum.

Aliud ænigma.

Dic, quis certa DEI promptè mandata peregit?
Dumve hæc exſequitur, damnatio contigit illi.

Reſp.

Judas Chriſti traditor.

Aliud.

Fœmineo ex utero non eſt ille editus unquam,
Pro tumulo gremium qui genetricis habet.

Reſp.

Protoplaſtus Adamus.

Aliud.

Virgo fuit, cui vix dedit una diecula vitam,
Cùm nupsit pulchro non temerata viro.
Ut decies plenos Phœbus reparaverat orbes,
Conjugii casti pignora grata dedit.
Et priùs excessit vitâ, quàm nata fuisset,
Hæc res offertur conjicienda tibi.

Expositió.

Eva, eo quo orta est die, jungitur Adamo.

Eva, & Ave.

Dextra tulit toti malô mala plurima mundo:
Læva sed econtrà gaudia mille tulit.

Solutio.

Nos Satanæ, & morti peccando tradidit Eva,
Abstulit admissum crimina rursus Ave.

Samson.

Mille manu sterno, dum vivo, fortiter hostes,
Mille hostes sterno mortuus absque manu.

Jonas in ventre ceti.

Sum nondum dirâ confectus morte sepultus,
Haud urna, haud saxum, non humus ulla tegit:
Et loquor, & sapio, & vitalibus abdicor auris,
Meque capit vivus, me tumulusque vehit.

DVX.

Qui de quingentis, de quinque, decemque fit unus,
Ille meis precibus dignetur reddere munus.

Pelli-

Pellicanus.

Magnus amor, majorque fides, sed maxima virtus,
Alterius vitam morte parare suâ.

Passer.

Quòd feror in Venerem dulcem, lascivior æquô,
Mî brevior vitæ terminus inde venit.
Disce meô fatô, longùm qui vivere quæris,
In Veneris justum rebus habere modum.

Echo.

Elinguem sterilis me trusit mater in auras,
Et sine carne mihi corpus inane dedit.
Ne tamen hôc aliquâ sine fruge morarer in orbe,
Humanâ jussit reddere voce Sonum.

Domus.

Dic, rogo, num citiùs possint subvertere tecta:
Anne priùs celeres ædificare manus?

Resp.

Posse priùs poni, quàm subverti, arbitror, ædes;
Nam, nisi structa priùs, non ruet ulla domus.

Auriga, & carnifex.

Dicite, quos hominum meliores esse putatis?
Aurigas inter, carnificesque feros?

Resp.

Carnificis magis est, ut opinor, munus honestum,
Educit reprobos scilicet ille viros;
Advehit haud raro Socios Auriga scelestos,
Sentináque urbes deteriore gravat.

Molitor.

Eſt aliquid prudens, benè quod natura paravit,
Nil Molitori æquè ſuſpicor eſſe bonum:
Illius totum ſiquidem hoc defendit honorem,
Et ſervat famam, quæ peritura foret.

Reſp.

Quòd ſaccis hominum non eſt conceſſa loquela,
Hinc nequeunt furem prodere voce ſuâ.
Indicio illorum fieret manifeſta rapina,
Quam furtim nunc, & diſſimulanter agit.

Fœmina.

Dic cauſam, maribus citiùs cur fœmina creſcat?

Reſp.

Quandoquidem pravæ creſcunt velociùs herbæ,
Fœmina quas inter connumeranda fuit.

Mulier lactans.

Dic mihi, quæ mulier lætetur tempore cuncto,
Nunquam non alacris, jubila læta canit?

Mulieres infantes lactantes, & cantantes.

Quæ cunctos homines inter lætiſſima turba eſt?

Solutio.

Sunt Sacerdotes Chorales, qui die, noctéque in templis canunt.

Dic mihi, quis quartam totius perdidit orbis
Partem, cujus tam ſcelerata manus?

Resp.

Fraternô Cain cùm Sanguine polluit aras,
Et fuit Abelis cæde cruenta manus:
Germani fuerant gemini, totidemque parentes,
Illi, tum totus, quàttuor, orbis, erant.

Stiria.

Dic, quæ res cœlum radicem extendit in altum,
Desuper in terram versa cacumen habens?

Resp.

Frigore concreta est dependens stiria tectis:
Namque acies imam respicit hujus humum.

Bellum haud bellum.

Bello cùm belli prorsus nihil undique subsit,
Bellum cur bellum, dic mihi, nomen habet?

Caula, Aula.

Tutiùs in Caula, blandâ quàm vivitur Aulâ:
Aula vale, Caulæ sim magis ipse comes.

Sum, es, est, sumus.

Sum tuus, & meus es: tuus haud sum, nec meus ipse es
Sed DEUS est noster, cujus uterque sumus.

Caupones.

Omnibus ex gestis Domini, quæ mira vocantur,
Quid, quæso, est hominum gens imitata magis?

Resp.

Tentârunt liquidas in vinum vertere lymphas,
Cauponum sic est æmula turba DEI.

Virginitas violata.

Nunc eſt, jamque perit, nullóque revertitur ævo,
Non redit, ut peſsùm lux hodierna dedit.

Phœnix.

Unica ſemper Avis, Pater, & ſibi Filius ipſa,
Morte ſuâ vitam dat ſibi ſola novam.

Lyra.

Viva fui in ſylvis, ſum durâ occiſa ſecuri,
Dum vixi, tacui, mortua dulce cano,

Nux vitioſa.

Eſt aliquid, quod ſi videas, ſinis usque jacere,
Et ſi non videas, ſat ſcio, tollis humo.

Vocabulum Dapes.

Quinque placent ori, ſed quattuor aëra ſcindunt,
Tres currunt, referunt murmura rauca duo.

Foramen.

Fit minus, adjicias ſi quid; ſi dempſeris illi,
Protinus augetur, dic, quid id eſſe putes?

Arca Noë.

Voce ſuâ mundum totum replevit aſellus,
Dic, ubi tam grandes edidit ore ſonos?

Ænigma Muſicum.

Ut Relevet Miſerum, Fatum, Solitosque Labores,
Fervens ſit dulcis Muſica noſter amor.

Muta-

Mutatio lectionis.

Despice, virtutem, vitium, cole, neglige, Christum,
Crimina, disce, nega, vera, caduca, pete.
Odit, amat, reprobat, probat, execratur, adorat,
Crimina, jura, nefas, fas, simulacra, DEUM.

Nisi, Nisus.

Non est tuta nisi sine Niso filia nisi.

Filia, fila.

Filia sub tiliâ filat subtilia fila.

Formica.

Sole sub ardenti mihi colligo provida victum,
Quo gelido brumæ tempore læta fruar.
Disce meô exemplô juvenis tolerare labores,
Ne desint canis certa alimenta tuis.

Cancer triplex.

Membra hominum torret Luis immedicabilis ardor,
Cœlum habito, fluviô captus adorno dapes.

Cimex.

Sum ligno genitus, depasco corpora morsu,
Sum gravis, at gravior, quando necabis, odor.

Terra.

Pendeo, ceu pila non ullo libramine fulta,
Omniparens pingui profero cuncta sinu.

Ventus.

Sit vox nulla mihi, vel nulla sit ala, licebit,
Persono, & immensas pervolo sæpè plagas.

Flamma.

Mater alit vivum, vivens mox devoro matrem,
Matre tamen morior commoriente ſimul.

Fama.

Auguſta eſt uni, benè convenit atque duobus,
Lata nimis res cùm ſit manifeſta tribus.

Aurum.

Vocalis quanquàm mihi deſunt organa linguæ,
Nullus, quo careo, prodit & ore ſonus:
Perſuadere tamen mortalibus omnia poſſum,
Ne grave ſit, fieri quidquid in Orbe volo.

Filia Cimonem Patrem in carcere lactans.

Filia cujus eram, Mater ſum deníque Patris,
Matris vir ſic ſit Filius inde mihi.

Caſtanea.

Arbor ineſt ſylvis, quæ ſcribitur octo figuris,
Fine tribus demptis, vix eſt è millibus una.
Fœmina caſta, ſecuris acuta, clienſque fidelis,
Hæc tria Pariſiis nunquàm ſunt abſque querelis.

De anno.

Eſt quiddam ſine P. cui ſervit noxque, dieſque,
P. ſi præponas, feceris inde togam.

Pavo.

Penna quidem variis me picta coloribus ornat,
Sed doleo turpes laude carere pedes.
Sincerum nihil eſt, & ab omni parte beatum,
Et vitiis virtus, & mala miſta bonis.

Manus lotæ.

Si facias, fiet, si non facias, quoque fiet;
Eveniet, quamvis ipse operere nihil.

Solutio.

Reddentur parvo lotæ tibi tempore siccæ,
Cùm siccent madidas lintea nulla manus.

Ingentem monstres hominum cætum absque malignis?
In cœlo is quærendus est.

Pone, suum sequitur cur Patrem mascula proles?
Præcedit Matrem fœmina quæque suam?

Solutio.

Patres de natis dubitant plerumque creatis,
Certior est Mater, novit & esse suos.

Ubi est nulla pax, nec amor.

Cùm sint innumeri metuenda in tartara missi,
Non ibi sunt pacis fœdera, nullus amor.

Plura characteres qui nobis commoda præstent?
Dic mihi, qui rursus plurima damna ferant?
M. D. C. L. X. V. I. his in numerando utimur.

Musicæ Notæ.

Elevo in excelsas, qui me sectabitur, arces,
Dejicio inque imum meque, meosque locum.
Est via recta mihi, tamen haud mihi recta placebit,
Nec nisi in obliquo tramite curro libens.

De urbe Hierichunte.

Dic mihi, sublimes ubi Musica diruit urbes?
Destruxitque gravis mœnia magna sonus?

Solaris radius.

Per medias rectò decurrit tramite Sylvas,
Saxaque propositum nulla morantur iter,
Non hoc ancipites anfractus sistere possunt,
Quà pergit, nec res impedit ulla viam.

De equo, & æquo.

Non ideò gaudebis equo, si feceris æquum,
Æquum qui faciunt, his malè currit equus.

De cuculo.

Frigore digredior, redeunte calore revertor,
Desero, quod peperi, hoc tamen educat altera Mater.

Ænigma.

Tres lepores capiunt duo Patres, & duo Nati,
Accipit & leporem quilibet inde sibi.

Unus erat Pater, is habebat Filium, isque alium Filium, sic tres erant personæ, duò tamen Patres, & duo Filii.

Mare.

Exhaurire velis si cunctas æquoris undas,
Hac in re vasis quot fore credis opus?

Solutio.

Quòd si sufficiet vas tantis fluctibus unum,
Crede mihi, nunquàm pluribus esset opus.

Quæ diu latère non possunt?

Principio dolus, hinc linguæ mendacia falsæ,
Ebrietas, fumus, copia, tussis, amor.

Men-

Mendicus.

Quis mendicorum pauperrimus? Is, cui corbis,
Sportáve nulla, quibus, quod datur, injiciat.
In terra, inque mari, quæ sunt animalia, & astris?

Solutio.

Latrat in æde canis, nat in æquore, fulget in astris,
In Ponto, inque astris, degit & anguis humi.

De vespertilione.

Sola avium pario, soli ubera lacte tumescunt,
Aspera sunt soli dentibus ora mihi.

Correctio Filii.

Corrige, dum tener est, puerum, nec parcito virgis,
Dum tener est ramus, flectitur ille manu.

Sancta Theresia.

Doctores violæ, Patriarchas caltha coronet,
Sit rosa Martyribus, lilia Virgo ferat.
Virgo, Parens, Doctrix, & Martyr amore Theresa est,
Cingant eam violæ, lilia, caltha, rosæ.

Mors omnibus est certa.

Omnis homo certam mortis non effugit horam,
Mortuus & sit homo, est tumulandus humo.

Cor mutui amoris in imagine scriptum.

COR nos CORroboret conCORdia CORda CORonet,

Exiguô semper contenta est munere virtus,
Quod mea non præstat dextra, reponat amor.

Venti 4. Principales.

Nam modò purpureo vires capit Eurus ab Ortu,
Nunc Zephyrus ſerô veſpere miſſus adeſt.
Nunc gelidus ſiccâ Boreas bacchatur ab Arcto,
Nunc Notus adversâ prælia fronte gerit.

Campana.

Eſt intrà cœlos, eſt intrà manſio terras,
Non cœlum tango, non quoque tango Solum;
Conſtringor vinclis, concludor robore duro,
Ut nullâ mutem conditione locum.
Os mihi ſemper hiat, petulanter & exero linguam,
Nec, niſi cùm cogunt verbera multa, loquor.
Cùm loquor, aſſiduis repleo clamoribus aures,
Verbera cùm ceſſant, tum quóque ceſſo loqui.
Non ulli noceo clamoribus, hortor iniquos,
Contritô quærant corde Salutis iter.

De ceraſo.

Rubra mihi cutis eſt, latet intùs vineus humor,
Os pro corde gero, ſemen at illud habet.

Muſcatum.

Dum caput eſt, currit: ventrem conjunge, volabit;
Cum caudâ comedes, & ſine ventre bibes.

Adamus è terra genitus.

Terga ſuper Matris ſubjecto in corpore quidam
Findere perpetuò ligna ſuetus erat:
Ni fallor, nimiùm, dices, fuit improbus ille,
Sed bene ſi nôris, dixeris: eſſe ſecùs.

Homo.

Homo.

Eſt animal totum per mundum non malè notum,
Manè quod it quadrupes, itque deinde bipes.
Ire tripes gaudet, cùm mox ſua tempora claudet,
Quid ſit, ſi dicas, Oedipus alter eas.

Ave, Salutem.

Mitto tibi navem prorâ, puppiqúe carentem,
Mitto tibi metulas, vertito, ſi dubitas.

Cor.

Mitto tibi lunam, Solem, ſimul & canis iram,

Rex, Lex.

Si benè regna regis, ſis dignus nomine Regis,
Doctor & es legis, ſi benè jura legis.

Fides.

Ni ſit nota fides, ignoto non benè fides:
Nec fides unquàm, quòd ſit in ore fides.

Servi.

Dum puer es, ſervi, ſi vis, ut ſint tibi ſervi:
Servus eris, ſervis ni priùs ipſe diu.

Quatruplex Sacræ Scripturæ ſenſus.

Littera geſta docet: quid credas, Allegoria:
Moralis, quid agas: quid ſperes, Anagogia.

Epitaphium myſticum.

Id quod es, antè fui: quid ſim poſt fata, requiris?
Quod ſum, quidquid id eſt, tu quoque Lector eris.

Pul-

Pulvis, & umbra ſumus: pulvis nihil eſt, niſi fumus;
At nihil eſt fumus; nos nihil ergo ſumus.

Declinatio mortis.

Omnia mors ſolvit, ſunt omnia terrea mortis:
Mortalis vivo vivere diſce DEO.
Omnia debentur morti, mortemque ſequuntur,
Mortalis verum diſce timere DEUM.
Omnia, mors, tua ſunt, morientur & omnia morte;
Diſcite mortales vivere, itemque mori.

Ars imitatur naturam.

Omnibus ingenium placidâ mollitur ab arte,
Et ſtudio mores convenienter erunt.
Eſt DEUS in nobis, agitante caleſcimus illo,
Impetus hic ſacræ ſemina mentis habet.

Curſus Solis.

Altiùs ignivomum ducit cœli orbita Solem,
Qui vagus Oceanas exit, & intrat aquas.

Caſtus divinus amor.

Caſta Parens caſtis caſtum conceſſit JESUM,
JESUS amor caſtos diligit, atque Parens.

Porta anguſta cœli, & via lata inferni.

Porta eſt anguſtata nimis, quæ ducit ad aſtra,
Quam, licèt anguſta eſt, craſſùs adire poteſt.
Lata via eſt, & trita via eſt, quæ ducit ad orcum,
Invenit hoc etiam ſe duce cæcus iter.

Omne ſcandalum vitandum.

Si manus offendat te dextra, abſcindito dextram,
Offendat ſi pes, abjice; Chriſtus ait.

Cor-

Corpus in errorem dexter si ducat ocellus,
Ipse oculus peccans effodiendus erit.
Quælibet abscindi pars corporis ægra jubetur,
Excipiunt Medici, Theologique caput.

Judex munere corruptus non est justus.

Heus aperi: quis tu es? tuus est: quid quæris? ut intrem;
Fers aliquid? non: esto foris: fero; quid? satis; intra.
Quid fers? ova: quid ille? capos: quid tertius? agnum,
Nemo magis; sunt, qui adducunt: quid? cum bove porcum.
Vos laudo; tamen hi forsan plus juris habebunt.
Dic quare? ova, capos, sus, bos malè perdit & agnum.
Et sic bilanx in eam vergit partem, in quâ majus est pondus.

Carmina Gradata.

Aurô quid melius? Jaspis, quid Jaspide? Virtus,
Quid virtute? DEUS, quid Deitate? nihil.
Altius ecquid humo est? Mare: & hocce quid? Æthra; quid Æthrâ?
Flamma? quid hàc? Polus; hôc quid? DEUS: hôcce? nihil.

Mors antrorsum, & retrorsum consideranda.

Mors solet innumeris morbis abrumpere vitaM,
Omnia mors rostrô devorat ipsa suO.
Rex, Princeps, sapiens, servus, stultus, miserægeR.
Sis quicunque velis, pulvis, & umbra sumuS.

Christus DEUS, & Homo.

Christus homo, atque DEUS castâ de Virgine natus,
Victima facta Poli, victima facta soli.
Pro injustis justus, pro crimine criminis expers,
Offertur Patri; hæc victima quanta fuit?

Tota pulchra es amica mea.

Sunt pulchræ ſylvæ, ſunt pulchra munismata, pulchrum
Eſt pratum, in viridi gramina pulchra ſolo.
Sunt pulchræ gemmæ, ſunt aſtra, & ſtemmata pulchra;
Sunt pulchri flores, eſt quoque pulchra dies.
Pulchrior es ſylvis, mea ſponſa, munismate, pratô,
Gramine, gemmâ, aſtrô, ſtemmate, flore, die.

De amore Divino.

Cor mihi clamat, amor clamat: cor dormit, & ille:
Ambo tacent: ſurgit cor mihi, ſurgit amor.
Cor mihi plorat, amor plorat: cor ridet, & ille:
Ambo canunt: plaudit cor mihi, plaudit amor.
Téne verecundi cor amoris dixero fratrem?
Téne mei fratrem dixero cordis, amor?
Neſcio, quid ſit amor cordi, quid ſit cor amori?
Totus quòd cor ego, nam ſcio, Chriſtus amor.

Carmen Leoninum.

Tempora tranſibunt, & gaudia vana peribunt,
Te prodit facies, turpia dum facies.

Illuſtre opus Bernardi Bahuſii in lucem olim editum eſt, hócce titulô: Protheus Parthenicus: eſt nimirum unius libri verſus, vel unius Verſûs liber, Verſus hic 1022. vicibus iisdem vocabulis, & metrô variari poteſt; quot videlicet ſunt ſtellæ fixæ ab antiquis Aſtronomis notatæ in cœlis. Eſt ſequens:

Tot tibi ſunt dotes, Virgo, quot ſidera cœlo.

Sequens Versus mirabilior est in honorem B. V. M. qui bis mille vicibus variatur.

In Divam Virginem.

Tu mea lux vitæ Virgo spes maxima salve.
Tu mea lux vitæ salve spes maxima Virgo.
Tu mea lux vitæ spes Virgo maxima salve.
Tu mea lux vitæ spes salve maxima Virgo. &c.
Lux mea tu vitæ Virgo spes maxima salve.
Lux mea tu vitæ salve spes maxima Virgo.
Lux mea tu vitæ spes Virgo maxima salve.
Lux mea tu vitæ spes salve maxima Virgo. &c.
Vitæ lux mea tu Virgo spes maxima salve.
Vitæ lux mea tu salve spes maxima Virgo.
Vitæ lux mea tu spes Virgo maxima salve.
Vitæ lux mea tu spes salve maxima Virgo. &c.
Virgo lux vitæ mea tu spes maxima salve.
Virgo lux vitæ mea spes tu maxima salve.
Virgo lux mea tu vitæ spes maxima salve.
Virgo lux mea tu salve spes maxima vitæ &c.
Spes mea lux vitæ tu Virgo maxima salve.
Spes mea lux vitæ salve tu maxima Virgo.
Spes mea lux vitæ Virgo tu maxima salve.
Spes mea lux vitæ tu salve maxima Virgo. &c.
Maxima spes salve Virgo tu lux mea vitæ.
Maxima spes salve tu vitæ lux mea Virgo.
Maxima spes salve tu lux Virgo mea vitæ,
Maxima spes tu lux vitæ Virgo mea salve. &c.
Salve spes Virgo tu maxima lux mea vitæ.
Salve spes Virgo lux tu mea maxima vitæ.
Salve spes lux Virgo maxima tu mea vitæ.
Salve spes lux tu mea vitæ maxima Virgo. &c.

Et

Et ſic de reliquis bis mille vicibus variatis: quod mihi incredibile videbatur; ſed cùm legerim, experto crede Ruperto. Hunc Verſum toties variatum continet Poëſis artificioſa R. P. Paſchaſii à S. Joanne, Carmelitæ.

Extat latiniſſimi Ericii Puteani, & Juſti Lipſii Verſus de Chriſto Salvatore.

Rex, Dux, Sol, Lex, Lux, Fons, Spes, Pax, Mons, Petra, Chriſtus.

Qui Verſus nomen ita meretur, ut incredibili artificio verti queat tricies, ſexties, centies, millies, & octingenties. Ego certè credere malim, quàm experiri.

Stabulum Bethlehemiticum.

Tecta licèt pateant mea debacchantibus Euris,
Et faciat Boreæ multa ruina viam,
Sublimis laxas ſuſpendat aranea telas,
Et luteum pendens Stiria jungat opus.
Auratos ſupra Regum me tollo Penates,
Chriſtus in his: illis naſcitur omne ſcelus.

Alphabetum Aulicum. Theat. vit. hum.

Aulæ eadem eſt omninò fides, quæ mobilis auræ.
Blanditur; ſed væ mordet, ceu ſcorpius Aulâ.
Conſiliis rarò melioribus utitur Aula,
Diſſimulet, regnare diu qui poſcit in Aula.
Exulat integritas, probitas, & candor ab Aula,
Ferre moras, iram frænare docemur in Aula.
Grande decus videre bonos cenſetur in Aula,
Horrent vera loqui, cupiunt qui creſcere in Aula.
Invidiam qui ferre nequit, diſcedat ab Aula,
Kyrie, qui ſenuêre, canunt Eleiſon in Aula.

Languent virtutes, regnat scelus omne per Aulam,
Muneribus mentes hominum capiuntur in Aula.
Nugas Aula leves, & fumos vendit inanes,
Otia quisquis honesta cupit, discedat ab Aula.
Porta Erebi in terris Aula, & tua Tantale pœna est,
Quæstus adulari, & mentiri primus in Aula,
Rara avis in toto verè pius Aulicus Orbe,
Sinceris, & simplicibus væ semper in Aula,
Turpe senex, inops, quando incolit aulicus Aulam,
Vitâ difficilis methodus benè dicitur Aula.
Xanthe retroibis, erit quando constantia in Aula,
Ydra Aula est capitum multorum, horrenda venenis,
Zenones fatui sunt, atque Trasones in Aula.

De animalium vocibus.

Ursi uncant, ululantque lupi, rugiuntque leones,
Lynx fremit, atque elephas barrit, & hinnit equus,
Frendet aper, glocitant cervi, vulpecula gannit,
Balat ovis, vitulus blatirat, atque caper.
Bos mugit latratque canis, sus grunit, asellus
Oncat, & intepidis rana coaxat aquis.
Mus mintrat, cattus glaucit, malè sibilat anguis,
Sollicito pavidus vagit amore lepus.
Hunc aquilæ clangunt, & gratitat angor amorem,
Hoc castus turtur, mœsta columba gemit.
Hoc turdus trutillat, crepitatque ciconia, sturnus
Pisitat, accipiter pipat, hirundo fritit.
Grus gruit, & corvus crocitat, plaucitque palumbes,
Rauca cicada strepit, lenta tritinnit anas.
Graculus hoc frigilat, pupillat pavo, minurit
Passer, Zinzitulat regulus, atque merops.
Cucurit gallus, gallina gracillat eodem,
Hoc canit omnis avis, bombilat omnis apis.

Carmen Leoninum in campanam.

En ego campanâ, nunquàm denuntio vana,
Laudo DEUM verum, plebem voco, congrego clerum,
Defunctos plango, vivos voco, fulmina frango,
Vox mea vox vitæ, voco vos ad Sacra, venite:
Sanctos collaudo, tonitru fugo, funera claudo.

Aliud.

Funera plango, fulgura frango, Sabbata pango,
Excito lentos, dissipo ventos, paco cruentos.

In quendam Leopoldum Philosophum.

LEOPOLDUS.

Anagramma.

DUPLO SOLE.

Mirandum! Leopolde duplex Sol ridet ab astris,
Sol geminus rutilas spargit ubique comas.
Sol micat in cœlo, Sol alter calce coruscat,
Forsitan hic doctum nuntiat, ille pium.
Sol Solem pietate pium deducit ab axe,
Si pietate micas, Solis honore nites.
Alter, ut invigiles doctis cum Socrate Musis,
Quòd si Musa favet, Solis honore nites.
Fac tibi concordi jungas sistemate Soles,
Sis pius, & doctus, lumina bina feres.
Evax! si geminos Soles Leopolde referres,
Proh mirum in terris! Sole micare duplo.
O celebres, humilesque nimis! magis inter honores;
Dum nituêre, latent, dum latuêre, nitent,

In

In quendam Joannem Xenii loco datum.

JOANNES.

Anagramma.

EO ANNIS.

Quàm felix! currente die, qui currit ad astra,
Annis it tutus, qui petit astra poli.
Hoc duce perge vias, quo cœperis esse viator,
Sic tutas annis ibis amore vias.
Ultimus ut vitæ tibi cùm successerit annus,
Dicas quàm felix! hoc duce amore mori.

In quendam Georgium in suos Vigilem.

GEORGIUS.

Anagramma.

I, EGO GRUS.

Ecce Gruem vigilem proprio te nomine dicis,
Quid? nisi quòd vigiles, perge referre Gruem.

EUCHARISTIA.

Anagramma.

CHARIS VITÆ.

Correlativum.

Dux, lumen, pastor, supero, collustrò, sagino,
Hostem, mundum, homines viribus, igne, cibo.

Aliter.

Lux, victor, medicus, collustro, subjugo, sano,
Orbem, hostes, animam lumine, voce, cibo.

Quæ fictitiorum Deorum studia.

Mars, Pan, Pluto, Ceres, Liber, Neptunus, Apollo,
Arma, nemus, barathrum, segetes, mera, flumina, chordas,
Captat, amat, dat, multiplicat, fundit, regit, aptat.

In Franciscum SS. Theologiæ Doctorem Nobilem Gallum.

Fortunata favent Francisco fata ferendo,
Franciscum fortem Francia fausta fovet.
Robore resplendet roseô, restracta reformat,
Res regni rectâ Relligione regit.
Arguit audaces, animis adspirat ad astra,
Altivolis alis agmen amoris agit.
Narbonæ natus, nutritus nobile nomen
Nanciscens, nota, nobilitate nitet.
Cætera contemnit, cœlestia castra, Chorumque
Cœlituum cultu conveniente colit.
Impiger invigilat justis, inimicus iniquis,
Instruit ignaros, ingenuosque juvat.
Sedulitate suâ solidè superare Sodales,
Sollicitè superis sacrificare studet.
Consilium Christi constanti corde capescit,
Cordaque cum Christo candidiora cupit.
Vituperat vanos, vincit virtute virili,
Vivendo varios vivificare valet.
Soles sexcentos, sexcentaque sæcula spectet,
Securè superet singula sæclâ senum.

Allo-

Allocutio Deiparæ erga sibi devotum clientem, in qua idem litterarum numerus, & qualitas, quæ in Salve Regina, reperiuntur.

Me salvere cupis, venio tua Virgo Sodalis,
Sic te claudo sinu Mater ; lac accipe nostrum.
Ubere cœlestes destillo mellis honores,
Et tergo lachrymas, & vultum amplector amatum.
Arbor ero vitæ, spes si in me fixa reclinet,
Fide DEO ; juvat ingenuos mea cura Sodales,
Dein vultu ostenso, ô mea maxima gloria Christus,
Te fessum, ô jucunda dies ! in sidera condet.

In Carolum Augustissimum Cæsarem.

Magnus Alexander, Magnus Pompejus habetur,
  Magnus habebaris, Carole, Major eris.
Scilicet hos Magnos Magni fecêre triumphi,
  Te Major Magnum Carole palma facit.
Perlege Stemma tuum, vincis te, vincis & hostem,
  Hîc quæ terra legi non putat, astra legunt.
Si dubitas, hoc ipse DEO da Stemma legendum,
  De cœlo Magnum Maximus ipse leget.

In voces Musicales. Ut, re, mi, fa, sol, la.

UTiliter rUTilante pUTas virtUTe salUTem,
  rUTari repUTas, UT scio cuncta lUTum.
REspiciendo REos REIevas REparanda REformas,
  REgali REctos REIligione REgis.
MItis es, & MIseris MInimis quóque MIra MInistras,
  MIrificè MIrâ Carle MIcante MIcas.
FAllaces FAstus, FAllacia FAlsa FAteris,
  FAstidis FAmam, FAc, FAcienda FAcis.
SOLlicitè SOLidè SOLers SOLvenda reSOLvis,
  SOlari SOlos SOl sine nube SOles.

LArgiris LAurum LAſſis, LAudando LAbores
LAſſorum, LApſis colLAchrimando Lates.

Quædam Anagrammata.

JESUS: es jus, vel es vis. MARIA: à mari, vel mi ara, Simon, omnis. Eva, ave. Urſula, laurus. Galenus, angelus. Leopoldus, duplo ſole, vel pello duos. Mauritius, vi uti Mars, vel Mars vivit. Roma, amor. Matthæus, amate thus. Antonius, an nos tui? vel vi tonans. Auguſtinus, vina guſtûs. Hilarion, nihil ora. Bartholomæus, ah! ſol beatorum. Leonardus, Leo, nardus. Seraphinus, herus panis. Chryſoſtomus, ô! ſumos Chriſti. Eraſmus eras mus. Joannes, eo annis, En Jonas, ei annis. Georgius, I, ego grus. Theobaldus, abs te ludo. Albertus, ter albus. Baſilius, ſibi laus. Maria Magdalena grandia mala mea. Maximilianus, nil vis? maxima. Ambroſius, ambo riſus. Vincentius, en invictus. Valentinus, valens unit. Laurentius, laurus in te. Eliſabetha, I, tela habes, vel abies læta. Sigismundus, Muſis dignus. Wenceslaus, vanus eluces. Emanuel, levamen. Heinricus, hinc vir es. Ignatius de Loiola, ô ignis illatus à DEO. Sacramentum Euchariſtiæ, chara Ceres in JESUM mutata. Euchariſtia, charis vitæ, vel cithara JESU. Bartholomæus, latro Bohemus. Oliverius, rivus olei. Damianus, ſum Diana. Marianus, ſum in ara. Scapulare, purè ſcala. Robertus, ter orbus. Arnolphus, flans ruo. Rudolphus I, fidus olor. Ferdinandus I, durans in fide. Carolus Magnus, cumulans agros. Eugenius, vice gens. Quid eſt veritas? Eſt vir, qui adeſt. Michaël, hic malè. Carolus Quintus, qui clarus notus. Miniſter, mentiris. Lucianus, Calvinus. Juſtus, Lipſius, pius ſtili uſus. Mediolanum, en, odi malum. Sebaſtianus, ſanus beatis, vel ſta nubes, ais. Vienna i, en una, En vina, ni vanè, anne vi? in vena. Carolus, Sol, cura. O clarus, Sol arcu, Ros lacu. Carolus Sextus: Crux ſalus eſto.

FINIS.

Suſpirium Poëticum, & devotiſſimum in honorem magnæ, & Imaculatæ Deiparæ perpetuæ Virginis MARIÆ, in Centuriam Chronodiſticham, manente totius Versûs ſubſtantiâ, & Rhythmicâ conſonantiâ ab anno Jubilari 1701. usque ad 1800. fideliter redactum.

Anno Jubilari.

MAtrIs VbI eXposItas perVenerIs ante fIgVras,
PræcereVnDo CaVe, ne sILeatVr AVe.

1701.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos LIberat à Væ,
InsIpIensqVe EVæ, Væ faCIs eſſe breVe.

1702.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos LIberat à Væ,
InsIpIensqVe EVæ, Væ faCIs Ire breVe.

1703.

VIrgo fIDeLIs AVe, qVâ nobIs erIpItVr Væ,
sIC prIMæVæ EVæ, Væ ſtat ab orbe breVe.

1704.

VIrgo fIDeLIs AVe, qVa nobIs abrIpItVr Væ,
EVæ prIMæVæ Væ faCIs Ire breVe.

1705.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos LIberat à Væ,
VæqVe Insanæ EVæ, CogItVr Ire breVe.

1706.

VIrgo faVorIs AVe, qVoD AVe nos LIberat à Væ,
EVæ prIMæVæ, Væ faCIt Ire breVe.

1707.

VIrgo LenIs AVe, qVoD AVe nos erIpIt à Væ,
Væ prIMæVæ EVæ, CogItVr Ire breVe.

1708.

VIrgo Mater AVe, qVIa nobIs abrIpItVr Væ,
LVCTIsonæVè EVæ, Væ fIt ab InDe breVe.

1709.

VIrgo fIDeLIs AVe, qVIa nobIs CorrIpItVr Væ,
EVæ prIMæVæ, Væ fVgIt ergo breVe.

1710.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos eXCIpIt à Væ,
Insanæ EVæ, Væ LabItVr ergo breVe.

1711.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos LIberat à Væ,
InsIpIensqVe EVæ, Væ faCIt VsqVe breVe.

1712.

VIrgo fIDeLIs AVe, qVIa nobIs CorrIpItVr Væ,
Væ prIMæVæ EVæ, fIt sIbI IVre breVe.

1713.

1713.

VIrgo Mater AVe, qVIa nobIs erIpItVr Væ,
LVCtIfonæVe EVæ, Væ fVgIt InDe breVe.

1714.

VIrgo LaVrea AVe, qVIa nobIs abrIpItVr Væ,
QVæ prIMæVæ EVæ, Væ IaCIs InDe breVe.

1715.

VIrgo Mater AVe, qVæ nobIs erIpVIt Væ,
LVCtIfoænVe EVæ, Væ feDet VsqVe breVe.

1716.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos eXpLICat â Væ,
InsIpIensqVe EVæ, Væ fVgIt ergo breVe.

1717.

VIrgo perennIs AVe, qVâ nos abfoLVIMVr â Væ,
TrIftIfLVæVe EVæ, Væ fLVIt InDe breVe.

1718.

VIrgo LaVrea AVe, qVIa nobIs fVrrIpItVr Væ,
QVæ prIMæVæ EVæ, Væ faCIs InDe breVe.

1719.

VIrgo faLVtIs AVe, qVâ nobIs sVrrIpItVr Væ,
QVæ prIMæVæ EVæ, Væ IaCIs InDe breVe.

1720.

Vas pIetatIs AVe, qVo nos eXCLVDIMVr â Væ,
HorrIfonæVe EVæ, Væ fVgIt ergo breVe.

1721.

Fons bonItatIs AVe, qVo nos eXCLVDIMVr â Væ,
Et fVgItIVæ EVæ, Væ fVgIt ergo breVe,

1722.

VIrgo faLVtIs aVe, qVà nobIs eXCUtItVr Væ,
Et Væ prIMæ EVæ, transfVgIt InDe breVe.

1723.

VIrtVs Mater aVe, qVà nobIs eIICItVr Væ,
EXVLIs en! EVæ, Væ fVgIt InDe breVe.

1724.

VIrgo InsIgnIs aVe, qVIa nos eXCLVDIMVr à Væ,
Et fVgIens EVæ, Væ fIt IVre breVe.

1725.

Vas pIetatIs aVe, qVo nos eXCLVDIMVr à Væ,
Et fVgItVræ EVæ, Væ fVgIt ergo breVe.

1726.

VIrgo VIgorIs aVe, qVIa MVnDVs foLVItVr à Væ,
Non benè fanæ EVæ, Væ faCIs VsqVè breVè,

1727.

VIrgo InsIgnIs aVe, qVà nos eXCLVDIMVr à Væ,
InfanæVè EVæ, Væ ftat VbIqVe breVe.

1728.

VIrgo InsIgnIs aVe, qVà nos eXCLVDIMVr à Væ,
InfanæVè EVæ, Væ fIt VbIqVè breVe.

1729.

VIrgo Mater aVe, qVIa nobIs eXVL erat Væ,
seDVCtæVè EVæ, Væ fVgIt VsqVè breVe.

1730.

VIrgo sVaVIs aVe, qVâ MVnDVS foLVItVr à Væ,
InfanæVè EVæ, Væ faCIs Vna breVe.

1731.

1731.

VIrgo VItIs AVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
EXtrVsæ EVæ, Væ CæpIt abIre breVe.

1732.

VIrgo InsIgnIs AVe, quâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
EXtrVsæ EVæ, Væ CogItVr Ire breVe.

1733.

VIrgo saLVtIs AVe, qVIa nos eXtrVDIMVr â Væ,
Væ fVgItIVæ EVæ, CogItVr Ire breVe.

1734.

Vas VIrtVtIs AVe, qVo nos absoLVIMVr â Væ,
seDVCtæqVe EVæ, Væ fVgIt VsqVè breVe.

1735.

VIrgo sVaVIs AVe, quâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
EXtrVsæ EVæ, Væ CæpIt abIre breVe.

1736.

VIrga VIrorIs AVe, qVâ nos absoLVIMVr â Væ,
Væ fVgItVræ EVæ, DVCItVr VsqVè breVe.

1737.

VIrgo saLVtIs AVe, qVâ nos eXtVnDIMVr â Væ,
Væ fVgItIVæ EVæ, CVrrIt abItqVè breVe.

1738.

VIrgo sVaVIs AVe, qVâ nos eXCLVDIMVr â Væ,
InsIpIensqVe EVæ, Væ fIt VbIqVe breVe.

1739.

VIrgo sVaVIs AVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
Et non CaVtæ EVæ, Væ fVgIt VsqVe breVe.

1740.

1740.

VIrgo sVaVIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
TVqVe Infanæ EVæ, Væ faCIs VsqVe breVe.

1741.

VIrgo sVaVIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
InCaVtæqVe EVæ, Væ fIt VbIqVe breVe.

1742.

VIrgo VItIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
VæqVe InCaVtæ EVæ, sIftItVr VsqVe breVe.

1743.

VIrgo faLVtIs AVe, qVoD nos pVrgaVerat â Væ,
EXpVnCtVMqVe EVæ, Væ rVIt VsqVe breVe.

1744.

VIrgo sVaVIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
non CaVtæqVe EVæ, Væ fVgIt VsqVe breVe.

1745.

VIrgo sVaVIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ.
VæqVe InfaVftæ EVæ, CorrVIt VsqVe breVe.

1746.

VoX VIrtVtIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
VæqVe InfaVftæ EVæ, CogItVr Ire breVe.

1747.

FaX VIrtVtIs AVe, qVIa nos eXCLVDIMVr â Væ.
AVfVgItVræ EVæ, Væ fIt IVre breVe.

1748.

Vas VenerabILe AVe, qVo MVnDVs hIC eXVerat Væ,
EXtrVfæ Væ EVæ, Væ ftat VbIqVe breVe.

1749.

1749.

VIrgo faVorIs AVe, qVo MVnDVs hIC eXVerat Væ,
EXpLVfæVè EVæ, Væ ftetIt Vfque breVe,

1750.

FaX pIetatIs AVe, qVo MVnDVs hIC eXVLat â Væ,
EXtrVfæqVe EVæ, Væ fIt VbIqVe breVe,

1751.

Fons VIrtVtIs AVe, qVIa MVnDVs hIC eXVItVr Væ,
EXpVLfæqVe EVæ, Væ ftat IVre breVe.

1752.

Vas VIrtVtIs AVe, qVIa MVnDVs hIC eXVItVr Væ,
EXpLofæqVe EVæ, Væ fIt IVre breVe.

1753.

VIVaX Mater AVe, qVâ nobIs eXCVtItVr Væ,
EXpVLfæqVe EVæ, Væ feDet VsqVe breVe.

1754.

FaX pIetatIs AVe, qVâ MVnDVs hIC eXVLat â Væ,
EXtrVfæqVe EVæ, Væ fVgIt VsqVe breVe.

1755.

VIrgo sVaVIs AVe, qVIa MVnDVs foLVItVr â Væ,
EXpVnCtæqVe EVæ, Væ fVgIt VsqVe breVe.

1756.

FaX, DeCVs aVreVM AVe, qVo nobIs eXVL abIt Væ,
EVa fVgaX sIbI, Væ traXIt IVre breVe.

1757.

FaX, DeCVs orbIs AVe, MoX nobIs eXVL abIt Væ,
EVæ fVgaX sIbI Væ traXIt VbIqVe brèVe.

1758.

1758.

paX, DeCVs aVreVM AVe, qVo nobIs eXVLerat Væ;
AtqVe fVgaX sIbIVæ, VeXerat EVa breVe.

1759.

VIrgo perennIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
Læta parens, EVæ, Væ faCIs effe breVe.

1760.

VIrgo perennIs AVe; qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
Læta parens, EVæ; Væ faCIs Ite breVe.

1761.

VIrgo InsIgnIs AVe. qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ;
Larga parens, EVæ, Væ faCIs effe breVe.

1762.

paX DeCVs orbIs AVe, MoX nobIs eXVL abIt Væ,
EVa fVgaX sIbI Væ, VeXIt VbIqVe breVe.

1763.

fLos CaMpeftrIs AVe, qVIa nobIs DIrIpItVr Væ,
LetIferæqVe EVæ, Væ fVgIt VsqVe breVe.

1764.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos LIberat â Væ,
InfeLIX EVæ, Væ taCet VsqVe breVe.

1765.

VIrgo Mater AVe, qVoD AVe nos LIberat â Væ,
InfeLIX EVæ, Væ IaCet VsqVe breve.

1766.

Vas VenerabILe AVe, qVo orbIs benè foLVItVr â Væ,
AC prIMæVæ EVæ, Væ fVgIt InDe breVe,

1767.

1767.

VIrgo MItIs aVe, qVoD aVe nos LIberat à Væ,
InfeLIX eVæ, Væ IaCet VsqVe breVe.

1768.

Ter bona steLLVLa aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr à Væ,
nonnè InfaVstæ eVæ, Væ fVgIt ergo breVe ?

1769.

paX generaLIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr à Væ,
InsanæVè eVæ, Væ IaCet ergo breVe.

1770.

VIrgo Mater aVe, qVod aVe nos LIberat à Væ,
InfeLIXqVe eVæ, Væ IaCet VsqVe breVe.

1771.

ô geDeonIs aVe VeLLVs, qVIa soLVItVr à Væ
orbIs, prIMæ eVæ, Væ fLVIt VsqVe breVe.

1772.

ô bona steLLVLa aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr à Væ,
InsanæVè eVæ, Væ patet VsqVe breVe.

1773.

VIrgo CLaVIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr à Væ,
protrVsæqVe eVæ, Væ tenet ergo breVe.

1774.

VIrgo Mater aVe, qVod aVe nos LIberat à Væ,
InfeLIXqVe eVæ, Væ VaCat VsqVe breVe.

1775.

VIrga aaronIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr à Væ,
LVgVbrIsqVe eVæ, Væ faCIs esse breVe.

1776.

1776.

VIrgo MItIs AVe, qVod AVe nos LIberat â Væ,
InfeLIXqVe EVæ, Væ VaCat VsqVe breVe.

1777.

VIrgo InsIgnIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
qVæ LVgVbre EVæ, Væ faCIs Ire breVe.

1778.

VIrgo InsIgnIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ
LVgVbrIsque EVæ, Væ IaCIs Ipfa breVe.

1779.

VeLLVs rorIs AVe, qVo MVnDVs foLVItur â Væ,
LVgVbrIsqVe EVæ, Væ ftetIt ergo breVe.

1780.

VIrgo LVCIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
InfaVftæqVe EVæ, Væ rVIt ergo breVe.

1781.

VIrgo LVCIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
InfaVftæqVe EVæ, Væ fIt, abItqVe breVe.

1782.

VIrgo LVCIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
InsIpIensqVe EVæ, Væ ftat VbIqVe breVe.

1783.

VIrgo LVCIs AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
InsIpIensqVe EVæ, Væ fIt VbIqVe breVe.

1784.

VIrgo faLVtIs, AVe, qVâ MVnDVs foLVItVr â Væ,
Non CaVtæqVe EVæ, Væ ftat VbIqVè breVe.

1785.

1785.

VIrgo saLVtIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
InCaVtæVè eVæ, Væ stat VbIqVe breVe.

1786.

VIrgo LVCIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
InfaVstæqVe eVæ, Væ sIt VbIqVe breVe.

1787.

VIrgo LVCIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
et fVgItIVæ eVæ, Væ sIt VbIqVe breVe.

1788.

VIrgo CLaVIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
Væ fVgItIVæ eVæ, sInIt VbIqVe breVe.

1789.

VIrgo VItIs aVe, qVâ MVnDVs toLLItVr â Væ,
eXtrVsæVè eVæ, Væ taCet VsqVe breVe.

1790.

VIrgo VItIs aVe, qVâ MVnDVs toLLItVr â Væ,
eXtrVsæVè eVæ, Væ IaCet VsqVe breVe.

1791.

VIrgo LVCIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
Væ fVgItIVæ eVæ, ponItVr VsqVe breVe.

1792.

VIrgo LVCIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
Væ fVgItIVæ eVæ, sIstItVr VsqVe breVe.

1793.

VIrgo LVCIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
feX fVgItIVæ eVæ, sInIt VbIqVe breVe.

1794.

VIrgo FVLgor aVe, qVo MVnDVs soLVItVr à Væ,
eXCVssæVè eVæ, Væ fIt VbIqVe breVe.

1795.

VIrgo LVCIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
eXtrVsæqVe eVæ, Væ fIt VbIqVe breVe.

1796.

VIrgo VItIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
eXCLVsæqVe eVæ, Væ fIt VbIqVe breVe.

1797.

VIrgo VIrorIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
VæqVe eXCLVsæ eVæ, fInIt VbIqVe breVe.

1798.

VIrgo VItIs aVe, quIa MVnDVs soLVItVr â Væ,
VæqVe eXCLVsæ eVæ, fInIt VbIqVe breVe.

1799.

VIrgo LVCIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
eXtrVsæVe eVæ, Væ fVgIt VsqVe breVe.

1800.

VIrgo VItIs aVe, qVâ MVnDVs soLVItVr â Væ,
VæqVe eXpVnCtæ eVæ, LabItVr VsqVe breVe.

FINIS SÆCULI.

SERIES

SERIES
Romanorum Imperatorum, cum singulis eorundem Symbolis.

Symbolum habuit.

JULIUS CÆSAR. Semel, quàm semper.
OCTAVIUS AUGUSTUS. Festina lentè.
TIBERIUS NERO. Meliùs tondere, quàm deglubere.
C. CALIGULA. Oderint; dum metuant.
CLAUDIUS TIBERIUS. Generis virtus Nobilitas.
DOMITIUS NERO. Artem quæque terra alit.
SULPITIUS GALBA. Miles legendus non emendus.
SYLVIUS OTTO. Unus pro multis.
AULUS VITELLIUS. Bonus odor hostis, melior civis occisi.
FL. VESPASIANUS. Lucri bonus odor ex re qualibet.
TITUS VESPASIANUS. Princeps orbis, amor bonus.

Symbolum habuit.

DOMITIANUS. Fallax bonum Regnum.
NERVA. Nihil feci, quò minùs possim privatus tutò vivere.
ULPIUS TRAJANUS. Qualis Rex, talis Grex.
HADRIANUS. Non mihi, sed populo.
ANTONINUS PIUS. Meliùs servare unum, quàm occidere mille.
AURELIUS ANTONIUS. Regni clementia custos.
L. AURELIUS COMMODUS. Pedetentim paulatim.
HELVIUS PERTINAX. Militemus.
DIDIUS JULIANUS. In pretio pretium.
SEPTIMIUS SEVERUS. Laboremus.
ANTONINUS CARACALLA. Omnis in ferro salus.
POPILIUS MACRINUS. Ferendum, ac sperandum.
HELIOGABALUS. Suus sibi quisque hæres optimus.
ALEXANDER SEVERUS. Quod tibi, hòc alteri.
MAXIMINUS THRAX. Quò major, eò laboriosior.
ANTONIUS GORDIANUS. Omnis vita supplicium.

Sym-

Symbolum habuit.

PHILIPPUS ARABS. Malitia regno idonea.
TRAJANUS DECIUS. Apex Magiſtratûs auctoritas.
VALERIANUS. Non acerba, ſed blanda.
Gallienus. Prope ad ſummum, prope ad exitium.
AURELIUS CLAUDIUS. Rex, viva lex.
AURELIUS QUINTILIUS. Honeſta mors, honeſta turpitudo.
AURELIANUS. Quò major, eò placabilior.
AURELIUS TACITUS. Sibi bonus, aliis malus.
AURELIUS PROBUS. Pro ſtipe labor.
AURELIUS CARUS. Bonus Dux, bonus Comes.
DIOCLETIANUS. Nil difficiliùs, quàm benè imperare.
CONSTANTINUS MAGNUS, Immedicabile vulnus enſe recidendum.
COSTANTINUS II. Difficilia, quæ pulchra.
JULIANUS APOSTATA. Pennis ſuis feriri, grave.
FL. JOVIANUS. Scopus vitæ Chriſtus.
VALENTINIANUS. Princeps Servator juſtus.
GRATIANUS. Non quamdiu, ſed quàm benè.
VALENTINIANUS II. Amicus veterrimus, optimus.

Symbolum habuit.

THEODOSIUS MAGNUS. Eripere telum, non dare irato decet.
ARCADIUS. Summa cadunt subitò.
HONORIUS. Malè partum, malè disperit.
THEODOSIUS II. Tempori parendum.
VALENTINIANUS III. Omnia mea mecum porto.
FL. MARCIANUS. Pax bello potior.
LEO MAGNUS. Regis clementia virtus.
ZENO ISAURICUS. Malo nodo malus cuneus.
ANASTASIUS. Mellitum venenum blanda oratio.
JUSTINUS THRAX. Quod pudet, hoc pigeat.
JUSTINIANUS. Summum jus, summa injuria.
JUSTINUS II. Libertas res inæstimabilis.
TIBERIUS II. Stips pauperum, thesaurus divitum.
MAURITIUS. Quod timidum, idem crudele.
PHOCAS. Fortunam citò reperias, quàm retineas.
HERACLIUS. A DEO Victoria.
HERACLIUS CONSTANS II. Parendum necessitati.
CONSTANTINUS POGONATUS. Quod citò fit, citò perit.

Sym-

Symbolum habuit.

JUSTINIANUS II. Multi nimium, nemo ſatis.
PHILIPPICUS. Fortuna citò repoſcit, quod dedit.
ANASTASIUS II. Si non das, accipit ultrò.
THEODOSIUS III. Patientia remedium malorum.
LEO II. ISAURUS. Occulti inimici peſſimi.
CONSTANTINUS COPRONYMUS. Quid ſine pectore corpus?
LEO III. Quò fortuna, ſi non úteris.
CONSTANTINUS PORPHYR. Mulieri imperare, res deſperata.
CAROLUS MAGNUS. Chriſtus regnat, vincit, triumphat.
LUDOVICUS PIUS. Omnium rerum viciſſitudo.
LOTHARIUS I. Ubi mel, ibi fel.
LUDOVICUS II. Par ſit fortuna labori.
CAROLUS CALVUS. Injuſtitia juſtitiam parit.
LUDOVICUS III. BALBUS. Nemo placet omnibus.
CAROLUS CRASSUS. Os garrulum intricat omnia.
ARNULPHUS. Facilis deſcenſus averni.
LUDOVICUS IV. Multorum manus, paucorum conſilium.

Symbolum habuit.

CONRADUS I. Fortuna cùm blanditur, fallit.

HENRICUS AUCEPS. Tardus ad vindictam, ad benevolentiam velox.

OTTO I. MAGNUS. Aut mors, aut vita decora.

OTTO II. Pacem cum hominibus, cum vitiis bellum.

OTTO III. Unita virtus valet.

HENRICUS II. CLAUDUS. Ne quid nimis.

CONRADUS II. Omnium mores, tuos inprimis observato.

HENRICUS III. Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.

HENRICUS IV. Multi multa sciunt; se autem nemo.

HENRICUS V. Mortem optare malum, timere pejus.

LOTHARIUS II. Audi alteram partem.

CONRADUS III. Pauca cum aliis, tecum multa.

FRIDERICUS BARBAROSSA. Qui nescit dissimulare, nescit imperare.

HENRICUS VI. Qui nescit tacere, nescit loqui.

Symbolum habuit.

PHILIPPUS III. Satiùs recurrere, quàm malè currere.

OTTO IV. Anſer ſtrepit inter olores.

FRIDERICUS II. Minarum ſtrepitus, Aſinorum crepitus.

RUDOLPHUS I. Habſpurg. Melius eſt benè imperare, quàm Imperium ampliare.

ADOLPHUS NASSOVIUS. Animus eſt, qui divites facit.

ALBERTUS I. Quod optimum, idem jucundiſſimum.

HENRICUS VII. Calix vitæ, Calix mortis.

FRIDERICUS III. Morte beatâ nil beatus.

LUDOVICUS IV. Sola bona, quæ honeſta.

CAROLUS IV. Optimum alienâ inſaniâ frui.

WENCESLAUS, Moroſophi, moriones peſſimi.

RUPERTUS. Miſeria, res digna miſericordiâ.

SIGISMUNDUS. Sic cedunt munera fatis.

ALBERTUS II. Amicus optima vitæ poſſeſſio.

FRIDERICUS IV. Rerum irrecuperabilium felix oblivio.

MAXIMILIANUS I. Semper cum cautione.

CAROLUS V. Plus ultrà.

FERDINANDUS I. Fiat juſtitia, aut pereat Mundus.

MAXIMILIANUS II. Dominus providebit.

Symbolum habuit.

RUDOLPHUS II. Omnia ex DEI voluntate.
MATTHIAS. Concordia lumine major.
FERDINANDUS II. Legitimè certantibus.
FERDINANDUS III. Pietate & juſtitiâ.
FERDINANDUS IV. Rex. Pro DEO, & populo.
LEOPOLDUS I. Conſiliô, & Induſtriâ.
JOSEPHUS I. Amore, & Timore.
CAROLUS VI. Conſtantiâ, & Fortitudine.

Conſtanter, & Fortiter.

CAROLE victor eras fortis, tu fortiter hoſtis,
Conſtanter Pacis ſint ſine fine dies.

Benevole Lector.

Notandum eſt, variis hujus Libri Carminibus multos inſertos eſſe Rhythmos, qui magis ſoluto, quàm ligato Stylo annumerari debent. Præterea quosdam Typographicos errores præter ſpem meam impreſſos ſine offenſione patienter ſuſtine, & Vale.

Pro-

Proverbia Italica.

LA gloria vana fiorisce, e non grana.
Chi và piano, và sano.
Dove non è pietà, non può esser felicità.
Nobilità poco si prezza, se vi manca la ricchezza.
Chi hanno ducati, Signori sono chiamati.
Chi hà fiorini, troverà cugini.
Beata quella città, che hà Prencipe, chi sà.
Chi è diffamato, è mezzo impiccato.
Il mondo è tondo, chi non sà natar, và al fondo.
Chi non può, come vuole, voglia, come può.
Cuor contento gran talento.
Chi promette, in debito se mette.
Assai sà, chi tacer sà.
Move la coda il cane, non per te, ma per il pane.
Triste quelle case, dove cantano le galline, e gallo tace.
Non metta la bocca, dove ti non tocca.
Chi si loda, si imbroda.
Ama Dio, e non fallire, fà pur bene, e lassia dire.
La necessità, legge non hà.
Amacio d'ogni, un amico di nissuno.
Chi con l'occhio vede, con cuor crede.

Chi hà mal vicin, hà mal mattin.
Chi vuol dir mal di altrui, si pensa prima di lui.
Chi lassia la via vecchia per la nova, spesse volte ingannato si trova.
Huomo rosso, e Donna barbuta da lontan tre miglia la saluta.
Chi ben, e mal non può soffrir, à grand honor non può venir.
Assai presto si fà, quel che bene si fà.
A quadrino, à quadrino, si fà il fiorino.
Non è buon Rè, chi non regge se.
Donna otiosa, non può esser virtuosa.
Chi hà la sanità, è ricco, e non lo sà.
Ad ogni uccello, il suo Nido è bello.
Lo stomacho digiuno non spregia cibo alcuno.
Qual ceruello, tal capello.
Qual sonata, tal ballata.
Leggere e non intendere, è come cavar, e non prendere.
Ogni fiore al fine perde l'odore.
Riccheza e Scienza, non hanno insieme residenza.
Un vitio non punito suol crescer in infinito.
Il caval quanto il và, tanto il val.
Chi serue à commun, serue à nissun.
Chi non fà, quel che deve, quel che aspetta, non riceve.
Usa la carità, fai gentilezza, e in ogni tempo honora la vecchezza.

Chi

Chi da vinti non è, da trenta non sà, da quaranta non hà, ne mai farà, ne mai saperá, ne mai haverà.

Se l'occhio non mira, il cuore non sospira.

Post funera præconia, le lodi restano dopo il funerale; jacula prævisa minús feriunt, non feriscono i dardi antiveduti.

Expende robur, priusquàm quidquam aggrediaris, pensa alle forze, avanti che pigli l'impresa.

Pauper ubique jacet, il povero giace per tutto.

Ingens telum est necessitas, la necessità é una gran frezza.

Pecuniæ obediunt omnia, tutte le cose obedíscono al denaro, opes conciliant invidiam, le ricchezze fanno acquistar l'invidia.

Facultates non benè comparatæ nón sunt diuturnæ, le ricchezze non bene acquistate non sono durabili.

Laterem lavas, & aërem percutis, lavi il mattone, e batti l'aria.

Nimia familiaritas contemptum parit, la troppa familiarità genera dispreggio.

Quot homines, tot sententiæ, quanti gli huomini, tanti sono i pareri.

Bis pueri senes, i vecchi sono due volte putti.

Magistrum deludere insipientia est, è cosa da pazzi sprezzare il maestro.

Sub

Sub sordida veste sæpè scientia latet, sotto una laida veste stà spesse volte il sapere.

Vultus reum prodit, il sembiante scuopre il colpevole.

Transgreditur opulentus, & plectitur inops, il ricco trasgredisce & il povero si punisce.

Obesi minimè sunt solertes, i grassi non sono ingegnosi.

Frustrà hortaris inter pocula, indarno esforti frà li bicchieri.

Abdomen non gignit sensum subtilem, la panza grossa non genera sottile ingegno.

Una hirundo non facit ver, una sola rondine non fà primavera.

Ex nivibus fertiliores fiunt campi, per le nevi più fruttano le campagne.

Ex alieno corio largas corrigias secat, d'altrui cuoio taglia larghe corregie.

Extorta venia violentia est, la licenza ottenuta per forza è violenza.

Aspettare, e non venire, esser al letto, e non dormire, servire, e non gradire, son tre cose da far morire.

La vostra bocca sana quel, che tocca.

Al molino, & alla sposa, sempre manca qualche cosa.

Casa fatta, e vigna posta, non si paga, quanto costa.

Il quiderdone della virtù è la gloria.

Nel

Nel mondo non è felice, ſe nò quel, che muore in faſcio.
Senza Cerere, e Bacco, Venere è di ghiaccio.
E meglio andar ſolo, che mal accompagnato.
Amor di putana è vin di fiaſco.
Amore e Signoriá non voglion compagnia.
Paſſato il pericolo, gabbato il Santo.
Corvi con corvi non ſi cavano mai gli occhi.
Dimmi con chi tu vai, & ſaperò quel che fai.
Ciaſcun attenda a' fatti ſuoi.
E caduto dalla palla ſulle brage.
Col tempo, e la paglia ſi maturano le neſpole.
Una pecora marcia ne guaſta un branco.
Can che abbaia, non morde mai.
Non deſtare il cane, che dorme.
Chi ti fà carezze più, che non ſuole, o ti hà ingannato, o ingannar ti vole.
Aſſai sà, chi sà, mâ più sà, chi tacer sà.
Val più una beretta, che cento ſcuffie.
Al buon vino non biſogna fraſca.
Il vino è una mezza corda.
Chi per man d'altri s'imbocca, tardi ſi ſatolla.
Si lamenta del brodo graſſo.
Peccato celato, mezo perdonato.
Il mondo è fatto à ſcale, chi le ſcende, chi le ſale.
Val più la giunta, che la carne.
Belle parole, e cattivi fatti ingannano ſavii, e matti.
Non ſi può haver la roſa ſenza le ſpine.

Con

Con arte, e inganno si vive mezo l'anno.
Con inganno, e con arte si vive l'altra parte.
Sà, quanto vale il sale a Chioggia.
Dio mi guardi da quella gatta, che dinanzi mi lecca, e dietro mi graffia.
E meglio un buon amico, che cento parenti.
Febre autonnale o è longa, o mortale.
Tal paese, tal usanza.
Fra due torrenti in asciuto.
Bisogna portar rispetto al cane per il Patrone.
Dar le latuche in guardia a' paperi.
Erra il Prete all' altare.
Al confessore, e al Medico non tenere il vero celato.
Monache, Frati, Preti e polli, non si vedono mai satolli.
Patto chiaro amico caro.
Ovo d'un hora, pan d'un dì, vino d'un anno, pesce di dieci, donna di quindici, amico di trenta.
Panche veda, vin che salti formaggio che pianga.
Insalata ben salata poc' aceto ben ogliata.
Vuol persuader l'acqua al pesce.
Chi vuol, che sia ben detto di lui, quardisi di dir mal d'altrui.
E meglio essere vccello di campagna, che di gabbia.
E meglio un ovo hoggi, che domani una gallina.
E me-

E meglio esser amici da lontano, che nemici d'appresso.

Nè di state, nè d'inverno, non andar senza mantello.

Vuoi far vendetta del tuo nemico, governati bene.

A cane, che lecca cenere, non gli fidar farina.

A caval donato, non guardar in bocca.

Assai ben balla, à chi fortuna suona.

Amor di Donna, e vin di fiasco, la mattina è buon, e la sera guasto,

A penna à penna, si pela l'occa.

A testa bianca, spesso cervello manca.

A grassa cucina, povertà è vicina.

Anco la mosca, hà la sua colera.

A cattivo cane, corto legame.

Appetito non vuol salsa.

Anco trà le spine, nascano le rose.

Al primo colpo, non cade l'albero.

Carezze di cane, cortesie di putane, invito d'hosti non può far, che non ti costi.

Chi hà arte, hà parte.

Chi nasce Matto, non guarisce mai.

Al più brutto porco vien la meglior pera.

Buona incudine non teme martello.

Buon grano, fà buon pane.

Così và il mondo, chi non sà nuatare, và à fondo.

Cento lire di fastidio non pagano un' oncia di debito.

O Chi

Chi hà la meſtola in mano, ſi fà la mineſtra à ſuo modo.
Non ſempre la Fortuna un luogo tiene.
Chi dorme con cani, ſi leva con pulici.
Chi ſtà bene, non ſi muova.
Cane vecchio mal s'auvezza, à portar la cavezza.
Chi mal ſi marita, non eſce mai di fatica.
Chi non ſi miſura, non dura.
Chi hà nel petto fiele, non può ſputar miele.
Doglia di moglie morta dura ſin alla porta.
Dal detto al fatto, è un gran tratto.
Di quanto l'huomo acquiſta malamente, non può goder il terzo diſcendente.
Duro con duro, non fecè mai buon muro.
Dio manda il gelo ſecundo il panno.
Dove ſono femine, & oche, non vi ſono parole poche.
E meglio eſſer capo di gatta, che coda di leone.
E meglio, che vada la lana, che la pecora.
E meglio d'haver piccione in mano, che tordo in fraſca.
Fortunato colui, ch'impara à ſpeſe d'altrui.
In bocca chiuſa, non entra la moſca.
Dar un colpo alla botte, e l'altro al orechio.
Pigliar due columbe, ad una fava.
I corvi augurano ſolamente il male, non lo fanno.
Il lungo poſſeſſo toglie il diletto à tutte le coſe.
La lingua non hà oſſo, e fà rumper il doſſo.

I campi

I campi degli altri ci paiono ſempre più fertili de noſtri.
La chiave d'oro, apre la porta di ferro.
Non v'è più glorioſo Trionfo, ch'l vincer ſe ſteſſo.
Ogni ſtato hà qualche infelicità.
Ogni agio, porta ſeco il ſuo diſagio.
Quando l'albero è caduto, tutti gli corrono ſopra con le ſecuri.
Ogni uno tira, l'acqua al ſuo molino.
Un fiore non fà ghirlanda.
Una noce non ſuona in ſacco.
Chi troppo ſi ſtima, cade ſovente al baſſo dalla cima.
Mondano honor finiſce come un fior.
L'ira ſenza forza, non vale una ſcorza.
Buon cavallo vuol ſperone, cattiva Donna vuol baſtone.
La briglia, e il baſton, fanno il cavallo buon.
Il ſervo ſia veloce, come un cervo.
La pecora, che più grida, hà manco latte.
L'argento mena l'huomo all' inferno, e reſta fuori.
La cucina piccola fà la caſa ricca.
Amore Regge, ſenza legge.
Speroni proprii, e cavalli d'altrui fanno curte le miglia.
Parlare ſenza penſare, è tirare ſenza mirare.

Chi mena il ſuo cavallo ad ogni fontana, e manda la ſua Donna ad ogni Feſta, in breve fà una rozza, e una Putana.

In queſta caſa è poca Pace, dove la gallina canta, e'l gallo tace.

Tu ſenza eſſere battuto piangi.

L'argento è più vile dell'oro, e l'oro più vile della virtù.

Quanto più l'huomo ſtudia, tanto più ſi ſtima ignorante.

Zero via Zero fà rero, ex nihilo nihil fit.

Per voſtra colpa accaſcarono queſte coſe.

Quella coſa, che niente t'importa, non volerla dimandare.

Il Maeſtro inſegnando impara.

Eſſendo il Maeſtro crudele, è diſprezato da tutti.

E meglio mille volte morire, che offendere leggiermente Dio.

Non deve il Giudice punire alcuno ſenza udire le ſue diſeſe.

Apri gli Occhi, à fatti tuoi.

Hoggi in canto, domani in pianto.

Servire ſenza grodire, è grān pena nel ſervire.

Tanto fà colui, che tiene, come colui, che ſcortica.

FINIS.

Appendix quorundam curioſorum Ethicorum Diſtichorum.

Ad Lectorem.

CLericus es? legito hæc; Laicus? legito iſta libenter;
Crede mihi, invenies hìc, quod utérque voles.

In laudem Authoris.

Quod fuit, eſt, & ſemper erit ſolemne Poëtis,
Carpimur in libris fœmina, virque, tuis.
Judice me, tamen hæc Epigrammata ſalſa merentur,
Laudet ut ingenium vir, mulierque tuum.

O tempora! O mores!

Scaliger annoſi correxit tempora mundi,
Quis jam, qui mores corrigat, alter erit?

Ad amicum conjugatum de cœlibatu.

Væ ſoli: ſapiens Rex non ſine conjuge dixit,
Nil melius vitâ cœlibe, Paulus ait.
Væ nobis, inquit, conjux: at væ mihi cœlebs:
Væ noſtrum ſimplex ergo, tuúmque duplex.

In Chymicum.

Rem decoxit iners Chymicus, dum decoquit aurum,
Et bona dilapidat, omnia pro lapide.

Ad Luciam Comitissam.

Præclarum lux ipsa dedit tibi, Lucia, nomen,
Luceat in toto nomen ut orbe tuum.
Te pater illustris, generosáque mater in orbem,
In lucem virtus, ingeniúmque tulit.

Globus terrestris.

Terra, átque unda globum, faciunt, quis crederet? unum,
Scilicet hæc semper manat; at illa manet.

Omnia appetunt bonum.

Fallor? an à verbo nomen trahit optimus? opto,
Optat enim sapiens optima quisque sibi.

Democritus, & Heraclitus.

Ille nihil nisi risit; & iste nihil nisi flevit:
Isténe ridendus, flendus an ille magis?

Vir bonus, fortis, sapiens.

Divitiis, lucrôque caret bonus, intus abundans,
Ingeniô fortis vir, sapiensque fide.

Ordo velleris aurei.

Dux Burgundorum, vetus ut fert fama, Philippus
Ordinis aurati velleris author erat.
Auriferos cujus nunc hæres possidet Indos:
Non igitur fuit hic ordo, sed augurium.

Grammatica fœneratorum.

Serpentes, nantes, gradientes, átque volantes,
Hos, has omnes, hæc omnia vincit amor.
Hic, hæc, hoc, nummus, regina pecunia, & aurum,
Sunt tria, queis vincens omnia cedit amor.

In Alexandrum.

Unus Pellæo juveni non sufficit orbis;
O juvenis! mundô mens tibi major erat.
Uni Pellæus juvenis non sufficit orbi;
Magnus Alexander; sed tamen orbe minor.

Senatus.

Rex regnat solus, cur non regit omnia solus?
Qui regit, & regitur, rectius ille regit.

Bombyx.

Arte meâ pereo, tumulum mihi fabrico mollem,
Fila mei fati duco, necemque neo.

Miseriâ vitâ.

Vivere quisque diu, quamvis & egenus, & æger,
Optat, id est, miserum se cupit esse diu.
Invitus moritur miser, & miserabilis Irus,
Hoc est, invitus desinit esse miser.

Catechismus.

Sunt credenda tibi bis sex, orandáque septem;
Si salvus fieri vis; facienda decem.

De Rege.

Lex sine Rege, velut lumen sine sole fuisset,
Rex sine lege, velut sol sine luce foret.
Grex Regem primò legit, Rex cum grege legem
Condidit: hinc legem Rex regit, atque gregem.

Ad Adamum.

Eva, parens mortis, malô te falsa fefellit;
Cùmque tuum strueret Væ, tibi dixit ave.

Oratio.

Christus uti clausis penetraverat ostia portis,
Sic cœli penetrant, invia claustra preces.

Mathusalem mortuus est.

Non vixisse diu vita est, & vivere, vita est:
Quid juvat ergò diu vivere, deinde mori?

In Ponticum sexagenarium.

Qui dum vixisti, nulli benefeceris unquàm,
Incipies fieri, Pontice, quando pius?
Omnia pauperibus, dicis, post fata relinquam:
Qui post fata sapit, Pontice, serò sapit.

Species infima.

Sit licèt humanum genus inter cætera summum;
Jure tamen species infima dictus homo.
In cœlo minima est hominum pars, maxima in orco:
Humanum infelix quis neget ergo genus?

Virtus.

Virtutem Genii duo semper in orbe sequuntur,
Hic bonus, ille malus; Gloria, & Invidia.

Invidia.

Livor edax hominum vivorum encomia carpit:
Ut defunctorum corpora vermis edit.

Nemo læditur, nisi à seipso.

Criminis est nemo, nemo discriminis expers:
Nos in discrimen crimina nempe vocant.

Æsopi lingua.

Humanô membrum non eſt in corpore lingua,
Nobiliúsve bonâ, mobiliúsve malâ.

Viciſſitudo.

Gaudia poſt luctus veniunt, poſt gaudia luctus:
Semper in ambiguo (ſpéve, metúe) ſumus.

Nequitia. In Linum.

Ut bona vina, bonum faciunt (ut fertur) acetum:
Ingenioſior es quò, Line, pejor eò es.

Homo homini DEUS.

Eſt homo, qui locuples inopi nil donat amicó,
Qui rapit, hic lupus eſt, qui dabit, ille DEUS.

Relevatio bona.

Integra cauſidico narranda eſt cauſa perito,
Et Medico morbus, crimina Theiologo.
Qui vis fortunas, animam, corpusque tueri,
His tribus in vita diſſimulato nihil.

Ubiquitarii.

Tota patet tellus inopi, quacúnque vagatur:
Pauper in exilio eſt nullibi; ubique domi.

Amor.

Eſt amor in nobis, in lignis ut latet ignis;
Ignis ut lignum, nos levis urit amor:
Ligna ſed in cineres vaneſcunt, ignis in auras:
Nos cinis; & noſter, quid niſi fumus? amor.

Sermo.

Sermo voluptati similis, similísque dolori est:
Longus enim levis est sermo, gravísque brevis.

Problema.

Moribus adversum sibi prodigus odit avarum;
Cur igitur largos parcus avarus amet?

Scrutinium.

O utinam quod Discipulos tu Christe rogâsti,
Presbyter, & Princeps, plébsque rogaret idem.
Quid de me dicunt homines, si sæpè rogaret
Quisque, malum sciret se, meliórque foret.

Lumen gratiæ.

Luna suam complet solari lumine sphæram;
Mens ut ab æterno Numine lumen habet.

Fama. Error.

Rumor rumores, errores parturit error:
Ut nivis exiguus crescit eundo globus.

In avarum.

Quò miser annorum victum tibi mille parâsti?
Annorum centum nec tibi vita datur.
Immensósque tibi nummorum cogis acervos,
Quæris, & in vitâ gaudia longa brevi?
Olim dives ero, parcè si vixero, dicis:
Et cur non olim mortuus, inquis, ero?

Pes in sepulchro.

Pendentes agimus vitas in littore mortis:
Tam propè mors vitæ est, quàm propè margo mari.

Una

Una ferè res eſt homini mors, vitáque, ſicut
Efficiunt unum terráque, & unda globum.

De ſeipſo.

Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe Poëtam,
Et verum dicunt; cur? quia vera loquor.

Ad Gulielmum optimum Medicum.

Poſthabitâ quærant alii ſua lucra ſalute:
Spernis dulce lucrum tu; tua cura, ſalus.
Te Medicô, amiſſam deſperat nemo ſalutem,
Inventum tanquàm ſit Medicina tuum.
De te vera loquor, non, ut ſolet æger, odulor:
Non tibi ab inſano laus, Gulielme, venit.

Ultimum divortium.

Si fortè in cælum vir ſumitur, uxor in orcum,
Aut contrà; non ſunt ampliùs una caro.

Legum nullitas.

Condidimus leges quàm multas? quàm propè nullas?
Nam ſi ſervatur nulla, quid ulla valet?
Ut leges ſerventur, adhuc lex unica fiat:
Hæc citò facta foret lex; citò fracta foret.

De ſtatu hominum.

Deprimitur niſi pes alter, non tollitur alter:
Sic caſu alterius tollitur alter homo.

Ultima linea.

Ultimus eſt vitæ mors actus amara jocoſæ:
Cujus vita fuit ſeria, mors jocus eſt.

Britannia.

Sicut eras in principio, ſic nunc es, & eſto,
Uſque in ſæclôrum ſæcula ſemper, Amen.

Ad magnum Regem.

Si foret in nudis virtus, aut gloria verbis,
In laudes facerem carmina mille tuas.
Nobilitare poteſt noſtram tua gloria muſam;
At tibi muſa poteſt, addere noſtra nihil.

In tribulatione virtus probatur.

Quod fornax auro facit, hoc tribulatio juſtis:
Rebus in adverſis certa probanda fides.

Veri amoris non eſt finis.

Nunquàm verus amor fuerat, qui deſiit eſſe:
Nam nullus veri finis amoris erit.

Mala durant in teneris mentibus.

Heu malè diluitur, teneris quod mentibus hæret;
Præſertim durant, quæ didicêre mala.

Recta conſcientia.

Gaudia vera dabit mens omnis criminis expers:
Heu mihi! quàm pauci gaudia vera ferent!

Sola virtus beatos efficit.

Omnia cùm pereant, eſt virtus ſola perennis:
Hæc immortales reddere ſola poteſt.

Fiducia in divitias.

Quid tibi ſi gemmas omnes cumulâris, & aurum;
Si tua tartareis mens cruciatur aquis,

Mors est inevitabilis.

Qui subitò palles, auditô nomine mortis,
An tibi res nova mors? unde repentè metus?

Quando mors est optima?

Optima tunc mors est, cùm vita est criminis expers;
Mors felix; vita est cùm tibi chara magis.

Post gaudium vitæ venit luctus mortis.

Quid lætare miser? nescis post gaudia vitæ,
Perpetuos luctus mortis adesse tibi?

DEUS non est author culpæ, sed pœnæ.

Non DEUS est author culpæ, sed criminis ultor:
Pro meritis justis præmia justa dabit.

Forma caduca mali causa.

Quid fidis formæ, populat quam morbus, & ætas?
Multis causa mali candida forma fuit.

Virgo formosa, est periculosa.

Ægrè formosam poteris servare puellam,
Nunc prece, nunc aurô forma petita ruit.

Juventus modicis cibis assuescat.

Illa domus felix, ubi parvo assueta juventus,
Inque foco coctum luxuriatur olus.

De falsis gaudiis

Quæ durare putas mortalis gaudia vitæ,
Sunt brevia, & finis tristis amoris erit.

Judex, & censor omni careat peccatô.

Aspiciat lucem, qui vult damnare tenebras,
Qui carpit mores, sit sine labe priùs.

De avaro.

Nusquàm fraude caret, semper mentitur avarus,
Erga inopes surdus ferrea corda gerit.

De gloria.

Gloria si dulcis, studeas virtute parare:
Quò labor est major, gloria major erit.

Nec citò, nec temerè judicandum.

Judicium præceps insani judicis index,
Omnia nec longis discutienda moris.

Qui benè vixit, non timet mortem.

Qui benè præteritos sine labe peregerit annos,
Non horret mortis vulnera dira pati.

Erudiendi pueri in tenera ætate.

Dum tenera est ætas, generosos imbue mores,
Tum facile est cunctis artibus ingenium.

Mors malorum mala, bonorum felix.

Formidanda malis sequitur quàm pœna perennis:
At contrà felix mors solet esse bonis.

Quæ sunt veræ divitiæ.

Divitiæ non sunt argenti pondus, & auri,
Virtutes veras accipe divitias.

Mens

Mens bona nunquàm timet.

Conſcia mens recti nullô commota pavore eſt:
Ut mala mens ſemper ſollicitata pavet.

Contra mercatores rerum terrenarum.

Per mare, per terras mercator quæritat aurum,
Sic cœli æternas, ſtulte, relinquis opes.

Cui DEUS plus dederit, plura requiret.

Cui bona multa DEUS conceſſit, plura requiret;
Ni diſpensârit, quas benè cepit opes.

Juvenes non debent maledicere ſenibus.

Ne ſæva in canos juvenis convitia fundas;
Sed ſubitò aſſurgas, prætereunte ſene.

Unde Senatus dictus.

A Senibus priſci ſumptum dixere Senatum:
Eſt robur juvenum, conſiliúmque ſenum.

Signum ruinæ, gubernatio juvenum.

Urbes, regna, domos, juvenum quas rexerit ardor,
Sint quanquàm fortes, certa ruina manet.

Quid ſit lex, & juſtitia.

Vis legis, prohibere malum eſt, permittere honeſtum:
Juſtitia eſt, ſemper jus dare cuíque ſuum.

Injuſtitia ruina urbium.

Nil injuſtitiâ miſeræ eſt infeſtius urbi,
Funditus hæc muros perdit, & illa domos,

Nil

Nil sine amicis jucundum.

Quid tibi jucundum submotis esset amicis?
Cuncta tibi quanquàm sint cumulata bona.

Altér ego est verus, multùmque probatus amicus,
Quô nobis debet charius esse nihil.

Amici priùs eligendi, electi semper retinendi.

Non temerè admittas, nisi fidum norîs, amicum,
Sed semel admissus semper habendus erit.

Liberalis.

Quas inopi, & dulci lætus donabis amico,
Temporibus nullis eripientur opes.

In adulatores.

Blandus adûlator Regum certissima pestis:
Hæc gaudet sanctos perdere sæpè viros.

Quales esse debemus.

Nulli sis blandus, sed verus, & omnibus æquus,
Vox clamore vacet, sit sine lite Sonus.

Ne simus loquaces.

Vis sapiens dici, raró, & meditata loquare:
Sæpè loquax verbis proditur ipse suis.

Nec tua laudes, nec aliena vituperes.

Nec tua laudabis, nec facta aliena reprendes:
Nam satis est,alter si tua facta canit.

Ratio Statûs.

Regnum juris erat recti Respublica quondam,
At nunc jus regni, regnat ubique novum,

De muneribus.

Quid non argentô, quid non corrumpitur aurô ?
Qui majora dabit munera, victor erit.

Nulla usura sanctior, quàm pascere pauperes.

Nullum majus erit lucrum, quàm pascere egenos :
Fænore nam grandi centupla dona feres.

Qui miseris dat, in cœlo thesaurizat.

Quas Christi causâ miseris donabit egenis,
In cœlo æternas conciliabit opes.

Dat gratìs nemo libenter.

Munera qui mittit, sperat majora remitti ;
Nemo suas vellet perdere gratìs opes.

Ad amicum.

Accipe parva mei lætus munuscula censûs :
Nec quæ sint ; sed quâ suscipe mente data.

Qui vult esse altus, sit humilis.

Esto humilis, quisquis fieri cupit incola cœli :
Fastus tartareis excruciatur aquis.

Tardi ad loquendum esse debemus.

Qui citò præcipitat velox sine pondere verbum,
Errat, demissum non revocare potest.

Laus virginitatis.

Virginitas animi murus, victoria carnis,
Pectus honestatis sancta pudicitia est.

Luxus ingenium, & mores perdit.

Nil lethale magis, quàm luxu perdere mores:
Hæc pestis juvenum est sævior ingeniis.

Voluptas pestis juvenum, & senum est.

Vis fieri fœlix: est debellanda voluptas,
Hæc juvenum exitium est, pestis & illa senum.

Jactantia est omnibus odiosa.

Omnibus invisa est stolidæ jactantia mentis:
Dum de te loqueris, gloria nulla tua est.

Quæ carent effectu, non sunt tentanda.

Quæ fieri nequeunt, prorsus tentare recuses:
Ingenii debes pondus habere tui.

Benè vestitos vulgus egregios putat.

Si modò me spernis, mutatâ veste redibo,
Quod mihi non dederis, vestibus ipse dabis.

Non est credendum blando adulatori.

Qui te plùs solitô demulcet carmine blandè,
Te capere insidiis nititur ille suis.

Qui alios reprehendit, se primùm castiget.

Cùm fueris censor, primùm te crimine purga,
Nec tua te damnent facta nefanda reum.
Ne tua contemnas, aliena negotia curans;
An tibi te quisquam junctior esse potest?
Sic utâre, tuis egeas ne rebus, amicis;
Sarcina námque humeris sola ferenda tuis.

Amici

Amici paucissimi.

Millibus ex multis unus vix fidus amicus,
Hic albo corvo rarior esse solet.

De victu modico.

Sit facilis victus, nullô irritante saporem,
Sed stomachum, & gustum mordeat ipsa fames.

Non occides, non furaberis.

Furtum non facies; Juristæ scribitur hæc lex:
Hæc, non occides, pertinet ad Medicum.

In Alanum Chymistam.

Chymicus ex auro non aurum fecit Alanus,
Aurum ex non auro non potuit facere.

Votum Salomonis.

Cur regis sapientis erat Sapientia votum?
Optasset Salomon, si sapuisset, opes.
Non optavit opes Salomon: sapientius optat;
Nam sapere optavit; cur? quia non sapuit.

Christophorus Columbus.

Cedere diluvium, campósque patere liquentes,
Nuntia, de cœlo prima columba venit.
Æquora sic ultra nostris incognita primus
Nuntiat, immensos esse Columbus agros.
Aurum arrham secum tulit alter, at altera olivam,
Alter divitias, altera delicias.

In quendam Hypocritam.

Nescit, ais, mea læva manus, quid dextera donet,
Credo, quod omninò dat tua dextra nihil.

Bene-

Beneficium præstitum.

Quod benè fit puero, mox obliviscitur ille:
Decrepito quod fit, non perit, ipse perit.

Sacerdos, & populus.

Presbyteri labiis orant, Laicique laborant,
Plebs, dum pro populo Presbyter orat, arat.

In Cinnam Medicum.

Tollere scis morbos: at quomodò? tollis & ægros,
Quodque facis (Judas tu) citò Cinna facis.
Qui tuus est Patiens, ô ter, quatérque beatum!
Ægrotare illum non patiêre diu.

Ira brevis furor.

Sit brevis ira licèt, non expedit esse furorem:
At quoniam furor est, expedit esse brevem.

Oratio, & ratio.

Rhetorica est palmæ similis, Dialectica pugno;
Hæc pugnat, palmam sed tamen illa refert.

In Cornelium.

Cornutum te, Corneli, scis esse, tacésque;
Non Cornelius es tu modô, sed Tacitus.

De vino, & cerevisia.

Laudatur vinum simplex, cerevisia duplex,
Est bona duplicitas, optima simplicitas.

Pharisæi.

Dicunt, non faciunt, culpa est ea temporis hujus,
Fiat, quod dictum est, dicitur inde fides.

Chri-

Chriſtus Crucifixus.

Erranti, pereunti, ægro, via, vita, ſalusque,
Mors mortis pendens in Cruce, Cruxque Crucis.

In prodigum & parcum.

Hic niſi poſt mortem veteri nil donat amico,
Ille nihil, quod poſt funera donet, habet.

Conjuges.

Uxorem vir amato, marito pareat uxor;
Conjugis illa ſui cor, caput ille ſuæ.

Studium.

Amentes fiant Studioſi ſcire ſtudentes,
Nemo ſit inſanus, qui ſtudet eſſe bonus.

Bellua.

Præteriti ſpes nulla manet, ſpes ſola futuri,
Res abeunt ſine ſpe, ſpes redeunt ſine re.
Dum nos præteriti dolor angit cura futuri,
Bellua, quod præſens eſt, capit, illa ſapit.

Ratio.

Rerum regina eſt ratio, naturaque mater;
Nam natura parit res, ratioque regit.

Natura.

Natura ingenuit rationem provida nobis;
Naturam ratio nos jubet ergo ſequi.

In Antiquarios, & Novatores.

Stulta hæc invidia eſt, cui cuncta recentia ſordent,
Invida ſtultitia eſt, cui nova ſola placent.

Mors Christiana.

Ducet ad æternam te mors brevis, ut via, vitam :
Ut mors interitus non sit, at introitus.

Ad Christum.

Anchora spêi nostræ, navis fidei, mare amoris,
Terræ sal, cœli Sol, animæque salus.
Morte tuâ lethum deletum mortua mors est ;
Crederet at mortem quis potuisse mori ?

In Atheum.

Præteriti tibi nulla fides, spes nulla futuri ;
Præsentis totum te tenet unus amor.

In Encomiasticos.

Fit melior laudando bonus, peiorque malignus,
Cautior astutus, simplicior stolidus.

Apologia Adami.

Cur ego peccati quasi princeps arguor author ?
Non ego peccavi primus ; at Eva priùs.

Serpens.

Tentator tuus ipse, tuus deceptor es idem :
Te qui tentaret, tu nisi, nullus erat.

Semper eadem.

Unus in orbe Deus semper fuit, est, erit idem :
Cur non est eadem semper & una fides ?
Una fides, velut una dies, illuminet Orbem ;
Unus ut in cœlo Sol, & in orbe Deus.

Ami-

Amicitia adumbrata.

Dum Sol obſcurum radiis illuminat orbem,
  Eſt individuus corporis umbra comes.
Quamprimùm liquidus nebulis offunditur äer,
  Ecce repentè tuum deſerit umbra latus.
Te, bona dum ſplendet fortuna, ſequuntur amici,
  Ut te, dum lucet Sol, ſolet umbra ſequi.

Salomon.

Prudentes quot ſunt, tot ſunt miracula mundi;
  Nam mirabilius quid ſapiente virô?
At Salomon ſeptem ſenior ſapientibus exſtat:
  Octavus non eſt, primus at eſſe poteſt.

Spes.

Cùm mihi ſit caſûs prudentia nulla futuri,
  Quid ſperemvè boni, quid metuamvè mali.
Non deſpero tamen: cum ſpe mihi ſpiritus exit:
  Producit vitam ſpes mihi longa brevem.

Chriſtus via.

Ad cœlos vis ſcire viam, tibi quà ſit eundum?
  Ad te deſcendit cœlitus ipſa via.

Ad Solem.

Phæbe bis octogies terrâ pulcherrime major,
  Innumerabiliter cùm videâre minor:
Qui mihi tantillo vermi, Sol tante, videris
  Tantulus, heu videor quantulus eſſe tibi?

Homo.

Cor, niſi cura, nihil; caro nil, niſi triſte cadaver:
  Naſci, ægrotare eſt, vivere, ſæpè mori.

Malum infinitum.

Mille modis morimur mortales, nascimur unô:
Sunt hominum morbi mille, sed una salus.

Christus in Cruce.

In medio Christus latronum quando pependit,
Aut nunquàm, aut Virtus tunc fuit in medio.

De Medicina & Juribus.

Vivere naturæ si convenienter amarent
Mortales, medicâ nil opus esset ope.
Si saperent homines, rixis, avidisque carerent
Litibus, & queruli garrulitate fori.
Sic incompositus post scrinia Bartolus iret,
Et mus illectum roderet Hippocratem.

Conjuges.

Discordes nos tota domus non continet ambos,
Concordes lectus non tamen unus habet.

Dies brevissima.

Una dies nostræ suprema brevissima vitæ,
Est etenim fini proximus ille dies.

Querela virtutis.

Rarus amoris amor, virtutis nullus amator;
In pretio pretium nunc, in honore honor est.
Divitiæ prostant, emiturque pecunia nummis,
Et sua jam virtus præmia vilis emit.

Roma.

Inceptô fratrem Caïn orbe occidit Abelem,
Inceptâ fratrem Romulus Urbe Remum.

Roma Remi polluta recens, ut mundus, Abelis
  Sanguine: principium est orbis, & urbis idem.

Omnia vanitas.

Defleret mores, si viveret Heraclitus:
  Nostraque rideret tempora Democritus:
Quanquàm ad ridendum curas, & inania mundi,
  Splenis Democritus non satis unus habet:
Ad casus hominum lachrymarum rore rigandos,
  Heraclite, oculi non satis ambo tui.

In Epicuræos.

Sæpè ego de Veneris juvenes brevitate querentes
  Audivi, & vitæ de brevitate senes.
Vita voluptatis brevis est, vitæque voluptas,
  Qui pariter parvi pendit utramque, sapit.

Opera.

Qui benè fecerunt, illi sua facta sequentur:
  Qui malè fecerunt, facta sequentur eos.

In Polytheos.

O stolidæ gentes, quæ vos dementia cepit,
  Plures quàm Mundos esse putare Deos?

De Ingenio, & Studio.

Ingenium, studiô si non acuatur, hebescit;
  Ut telum, assiduam cos nisi præstet opem.
Ingenium studiis alitur, teritur quoque, sicut
  Tela terendo acuit cos, acuendo terit.

Ars longa, vita brevis.

Ut solidè sapiat, nulli sua sufficit ætas,
  Mors priùs à tergo, quàm sapiamus, adest.

Miser, & felix.

Dupliciter felix, quia felix antè fuisti ;
Dupliciter felix, qui fuit antè miser.

Omnes quærunt, quæ sua sunt.

Non quærit Christum Laicus, sua commoda quærit ;
Nec tu τὸν Χριστὸν, Clere, τὸ Χρυσὸν amas.

Respice finem.

Respice principium potiùs, sed prospice finem,
Cælum suspiciens, despiciensque Solum.

Fides, Amor, Deus.

Nil sensus ratione carens, ratio fidei expers ;
Nil sine amore fides, nil amor absque Deo.

Prudentia, & fortitudo.

Prudentis cavisse viri est mala, ferreque fortis,
Ut mala non metuat iste, nec ille ferat.

Justificatio.

Justificant hominem sua facta, fidesque fidelem ?
Justificat solus facta, fidemque Deus.

S. M. Magdalenæ fletus.

Surgunt ex uno fontes duo monte perennes,
Unde duplex salsæ labitur amnis aquæ.

Infernus.

Ut niger in niveum nullâ redit arte colorem ;
Spectat ab inferno sic via nulla tetro.

Par-

Partes mundi.

Dividitur totus partes in quattuor Orbis:
Orbis quot partes, sunt tot in Orbe fides.

Judaica, Christiana, Mahometana, Pagana.

Liberalis.

Vir justus dat cuique suum; sed te dare oportet
Divitibúsque suum, pauperibúsque tuum.

Sapiens.

Qui rerum novit causas, ac tempora servat,
Temperat affectus, ordinat acta, sapit.

Infans ante baptismum mortuus.

Mortuus heu! nec lotus aquâ, nec nomine notus,
Non habui nomen, quod tibi, Christe, darem.
In libro vitæ tu me sine nomine scribas:
Spes est in solo nomine nostra tuo.

Petrus, & Paulus.

Imperium gladiô, sed opes sub clave tenentur;
Ditior est Paulô scilicet inde Petrus?
Esse inopem, Divum sua dicit epistola Paulum:
Hoc sanctus de se nullibi Petrus ait.

Ad Paulum sepultum.

Ex utero matris venisti nudus in orbem;
In terram tectus sindone, Paule, redis.
Plus aufers igitur tecum, quàm, Paule, tulisti,
Plus reddis matri, quàm dedit illa tibi.

Prudens simplicitas.

Ut nulli nocuisse velis, imitare columbam,
Serpentem, ut possit nemo nocere tibi.

Miseria Jobi.

Divitias Jobo, Sobolémque, ipsámque salutem
Abstulit (hoc Domino non prohibente) Satan.
Omnibus ablatis misero, tamen una superstes,
Quæ magis afflictum redderet, uxor erat.

De viva voce, & scriptis.

Sit verbum vox viva licèt, vox mortua scriptum;
Scripta diu vivunt, non ita verba diu.

Vacuum.

Ethieus ô inquit quantum est in rebus inane!
Esse tamen Physicus monstrat inane nihil.

In laudatorem Poëseos.

Te Versus laudare meos mihi fama susurrat:
O par si possem laudibus esse tuis!
Qui tenues tantô Musas dignatis honore,
Dignus es â Musa tu meliore cani.

Ad maximæ spei adolescentem.

Invidiam virtus peperit, partámque tuetur:
Ex virtute unum nascitur hoc vitium.
Hoc Epigramma tibi, quæris, cur dedico? dicam:
Sperare invidiam nam tibi jure licet.

Septem Planetæ.

Ad Paulam.

Errantes inter stellas benè, Paula, notâsti,
Quínque mares, generis fæmineíque duas.

Evæ lapsus.

Ecclipsin rarò patitur sol, luna frequenter:
Est magis ad lapsum fæmina prona virô.

Ami-

Amicitia.

Cur similis similem sibi quærit: amicus amicos?
Uno nemo potest in pede stare diu.

Philautus Philaristo Xenium mittit.

Calendis Januarii.

Expectas, Philariste, tibi dum munera mittam,
Nil habeo, quod dem, me tibi præter, ego.

Philaristus Philauto.

Quod mihi misisti, nihil est: nihil ergo remitto:
Te mihi donâsti, te tibi reddo: Vale.

Fides, Spes, & Charitas.

Certa sagitta Fides, nervus tibi Spes, Amor arcus,
Sitque tibi cælum meta, scopusque Deus.

Omne grave tendit deorsum.

In mundo, quô non animal sublimius ullum,
Infima cur homini terra terrenda datur:
Est elementorum, rerumque gravissima tellus:
Peccatô gravius nec reperitur onus.
Quid mirum est hominum ferri genus ergo deorsum?
Præter peccatum nil propè cùm sit homo.

In Carolinam.

In speculo vultum quoties oculosque tueris;
Si fortè elatam te tua forma facit.
Splendida, sed fragilis, pulchra, at peritura, memento,
Quàm speculo similis sis, Carolina, tuo.

De Spiritibus supernis.

Summa elementa duo non cernimus, äera, & ignem :
Terram, Undamque oculo cernimus, ima duo.
Sic, quid sint homines, quid bruta animantia, scimus,
Nescimus, quid sint Angelus, atque Deus.

Ecclipsis animæ.

Ut Solem tellus Lunamque stat inter opacam ;
Stat peccatum inter meque, Deumque meum.

Mars & Venus.

Se Venus, & Mavors communicat omnibus æquè ;
Hostis communis Mars, & amica Venus.

Ad Regem bonum.

O quanta exempli generoso in Principe vis est !
Tu vitando vetas, tu faciendo jubes.
Princeps principium motus ; Rex regula vitæ :
Circumfert cælum sidera ; Rex populum :

Caput & Corpus.

In capite est ratio, & rationis quinque ministri.
Divinum in reliquo corpore penè nihil.

Ad Regem.

Quod Reges audire timent, ac dicere servi,
Ipsa tibi dicit fama, memento mori.

Adamus.

Amisit costam, causâ Mulieris, Adamus,
Uxoris causâ perdidit ipsam animam.

Omnia

Omnia nihil.

Omnia de nihilo qui fecit, is omnia solus ;
Quod Deus ex nihilo fecit, id omne nihil.

Ecclesia Orientis, & Occidentis.

Floret dextra fides in mundi parte finiſtrâ ;
In mundi dextrâ parte finiſtra fides.

In Ponticum.

Pontice, Comædus vivis ? moriere Tragædus ;
Diſſimilis vitæ mors erit illa tuæ.

In Hæreticos.

Omnia diruitis, nihil ædificatis in orbe :
Zelus hic, an ſcelus eſt ? fervor hic, an furor eſt ?
Spiritus at veſtris etiam prætenditur auſis :
Qualis at hic veſter ſpiritus eſt ? ſatanæ.

Conciones funebres.

Lædimus inſontes vivos, laudamus eosdem
Defunctos : ô mors candida, vita nigra !

Creſcens amor.

Temporis ut minimi momentum creſcit in horam.
Et brevis in longam ducitur hora diem.
Multiplicata dies in menſem, menſis in annum :
Sic creſcente meus tempore creſcit amor.

Aqua calida.

Expreſſæ tacitum lachrymæ teſtantur amorem ;
Gignit amor lachrymas : quis putet, ignis aquas.

So-

Solatium pauperum. Ad amicum divitem.

Inconſtans fortuna breves mutatur in horas:
Naſcitur inde mihi ſpes, metus unde tibi.

Ad amicum ſeneſcentem.

Tu nuper juvenis fueras, ego dum puer eſſem:
Quæ me nunc juvenem, te videt hora ſenem.
Exſpectat mors ergo brevi te, meque ſenectus;
Sors incerta licèt ſit mea, certa tua eſt.

Diſſonantia.

Tanta per humanas repſit contentio mentes,
Ut quid pax animæ ſit, propè nemo ſciat.
Ille nimis Baſſum premit, hic nimis elevat Altum;
Ut vix auditus ſit Tenor, aut medius.

Ad Marianum.

Pejores patribus ſumus, ut majoribus illi:
In vitium faciles nam, Mariane, ſumus.
Natio ſi nobis fuerit quoque poſtera pejor:
Pejus erit noſtrâ poſteritate nihil.

Moriones, & Nani.

Nos, quanquàm vitiô ſumus, haud virtute notati,
Magnatum luſus, deliciæque ſumus.

Ad Pontilianum.

Semper ſollicitus fuit Irus: cur? quia pauper:
Nec tu Cræſe minùs: cur? quia dives eras.
Uxorem quod non habeat, cruciatus Alanus:
Uxorem quòd habes, Pontiliane, doles.

Unio. Ad Conjuges.

Servat ab interitu Deus unus, & unio Mundum,
Conjugium in terris unio prima fuit,

Firma-

Firmamentum.

Terra ſtat, in tellure animantia ſtante moventur :
Aſtra ſed in cælo fixa movente manent.

Quintinæ laus.

Si te laudarem, Quintina, ſuperbior eſſes ;
Te laudare equidem nolo, ſuperba ſat es.

Quod differtur, non aufertur.

Differt, non aufert mortem longiſſima vita:
Quid differt igitur cras, hodieve mori?

Lucifer ſtella, quæ & Venus eſt.

Stella micans Veneris nocturna, diurnáque, noctem
Nuntiat inducto veſpere, manè diem.
In cælo ſemper ſolem comitatur euntem:
In terra lucem cur fugit ergo Venus?

Mortis, & macelli apologia.

Mors niſi mactaret juvenes, laniiq̀ue juvencos;
Omnia ſtultorum plena boumq̀ue forent.

Diabolus.

Circuit, & quærens quem devoret, ut leo, dæmon,
Errantes animas vi quaſi ventus agit.
Inſtruit occultas Satan, ut vulpecula, fraudes,
Quos vi non potuit perdere, fraude ferit.

Fides, Spes, & Charitas.

Solus amor nobiſcum intrat penetralia cæli,
Non habet in cælo ſpesve, fidesve locum.
Credendum poſt funera nil erit: omnia cerno:
Sperandum mihi nil; omnibus ecce fruor.

Sem-

Semper erit, quod ametur: amor post funera vivit,
Dum Deus in cælis ipse superstes erit.

In Polydorum.

Cui jacet in clausa nummus quasi mortuus arcâ,
Argenti vivi nil Polydorus habet.

Ad amicum cognatum.

Semper in incertâ re, tu mihi certus amicus:
Ne sit amicitiæ nomen inane, caves.
Quem verbis profitêre, probas tu rebus amorem:
Linguæ vocali consona vita tua est.

Octo.

Servator mundi pronuntiat octo beatos:
Servatrix quatuor-bis beat Arca Noë.

Coniux.

Inferior cùm sit quævis matrona marito,
Unica cur sexum signat utrúmque nota?
Cur æquè coniux vir, & uxor utérque vocatur?
Uxor enim non est æqua, at iniqua, viro.

Epigramma.

Est nostrum, quorum est epigrammata scribere, munus,
Quolibet ex ligno Mercurium facere.
Versor ego in verbis, veluti Paracelsus in herbis;
Subjicit ille sibi res, ego verba mihi.

In Paulam fœminam lectissimam.

Miraris, quare lectissima Paula voceris?
In medium lectus te tenet usque diem.

In

In quendam litigiosum.

Causidicus si non esses, litésque creares;
Causidicus quamquám sis, morerere fame.

Ad insignem Theologiæ Doctorem.

Scrutaris tu scripturas veterésque, novásque:
Janus es; à tergo quid sit, & antè, vides.

Festus, & felix.

Infestus tibi Paule fuit sanctissime Festus:
Infelix Felix & tibi Paule fuit.

Democritus, & Heraclitus.

Temporis iste sui casus, & crimina flevit;
Risit stultitiam temporis ille sui.
Semper erunt miseri mortales, semper inepti,
Hic ut in æternum rideat, ille fleat.

Semper idem, eadem, idem.

Spes, eadémque fides sit semper, amórque sit idem,
Ingenium tibi sit, sic sibi semper idem,

In ignorantem Linum.

Captivum Line te tenet ignorantia duplex:
Scis nihil, & nescis te quóque scire nihil.

Vita.

Vitam sic texit natura, ut aranea telam;
Longus, at in lapsum pronus, utérque labor,

Scriptores hujus sæculi.

Carpimus extremas voces, & verba priorum,
Priscorum, qui nunc scribimus, echo sumus.

Tres Rectores Mundi.

Theiologus sapiens sit, ut omnibus omnia fiat:
Juridicus prudens sit, Medicúsque sciens.

Votum Autoris.

Nec paupertatem, nec opes desidero magnas:
Nolo Parum: Nimium non volo; Sat mihi sat.

Ratio Statûs.

Regnum Juris erat recti Respublica quondam:
At nunc jus regni regnat ubique novum.

Ne sitis multi Magistri.

Discipulus dum vult nemo, quísque esse Magister:
Omnes discipuli, nemo Magister erit.

Divitis avari testamentum.

Omnia das, quia nil potes hinc auferre; dedisses,
Si tecum posses omnia ferre, nihil.

In Dardanum.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto,
Dardane, nil in te est pingue, nisi ingenium.

Articuli fidei.

Unum crede DEum, duo Biblia, Symbola terna,
Quartam Conciliis quattuor adde fidem.

A Jove principium.

Principium DEus ipsum, in principio DEus ipso,
Et post principium, principióque prius.
Principium sine principio est: â principio isto,
principium capiunt omnia principio,

Laus liberalitatis.

Quod datur, æternum durat, ſequitúrque datorem,
Dantem, & captantem munus utrúmque juvat.

N. O.

N præit, O ſequitur; Nihil eſt antiquius Omni:
Scilicet ex Nihilo condidit Omne DEus.

Sabbatum polare. Ad populos polares.

Una dies veſtrum, nox unáque, terminat annum,
Septimus eſt annus, ſeptima veſtra dies.

Humilitas.

Uberiora ferunt valles, breviotáque montes
Gramina: multùm humilis mens ſapit, alta parum.
Mens mons eſt, montiſque cacumen mentis acumen:
Omne cacumen inops eſt, & acumen iners.

Tres Philauti.

Proximus ipſe egomet mihi ſum: tibi proximus es Tu:
Quid prohibet, quin ſit proximus Ille ſibi?

Cliens.

Pharmaca ſi cauſæ vis applicet apta Patronus,
Cauſidico clines callide crura Cliens.

In avarum.

Non vis, ut modico major pede calceus exſtet:
Cur tibi quæris opum plus, tibi quàm ſit opus?

Serpens, Eva, Adam.

Incautam ſerpens fallit, non fallitur, Evam;
Fallitur, haud fallit, conjuge captus Adam.

Activus muliebris erat paffivus & error:
Fallitur, & fallit Fæmina, capta capit.

Cygnus.

Cùm me fata vocant ad amæni fluminis oram,
Me moriens mæſtô carmine ſolor, olor.

Ad Aldinum

Servus es infelix dominorum, Aldine, duorum:
Alter enim tibi nil dat; nihil alter habet.

Continentia triplex.

Quicquid turpe vides, aut audis, claude feneſtras:
Ne temerè effundas frivola; claude fores.

Senex juvenem alloquitur.

Eſt mea vita brevis, nec tempore longa futura eſt,
Eſt tua longa; brevi fiet & illa brevis.

Ad iracundiam.

Ira cadat cum Sole, at non cum Sole reſurgat:
Semper cum Phæbo currat ad Antipodes.

Edere libros.

Accidit hoc mihi ſæpè volenti ſcribere verſus,
Ut libros edam plenus, inanis edam.

Ad hilarem datorem.

Munera ne numera, miſeris quæcúnque dediſti;
In cælis numerat, munerat illa DEus.

De proſâ, & ſolutâ oratione.

Cur vinctus velocior eſt, quàm ſermo ſolutus?
Iſte pedes ſermo non habet; alter habet.

Bellum.

Solis militibus bellum res bella videtur;
Militibus ſolis omnia bella bona.

Tria genera.

Eſt dubii generis, caſtiſſima ſit licèt, uxor;
Communis meretrix, fæminei, mulier.

Patria eſt, ubicúnque cui benè eſt.

Illa mihi patria eſt, ubi paſcor. non ubi naſcor:
Illa ubi ſum notus, non ubi natus eram.
Illa mihi patria eſt, mihi quæ patrimonia præbet:
Hîc, ubicúnque habeo, quod ſatis eſt, habito.

Arbor.

Ver viridem, flavámque æſtas me fervida, canam
Autumnus, calvam frigida fecit hyems.

DEI genus.

Neutrius generis DEus eſt; nec fæmina, nec mas:
Hoc igitur Numen nec DEA, nec DEus eſt.

Gubernaculum linguæ.

Inſipiens linguam laxat, ſapiensque refrænat:
Quis minor, aut major, quàm tacuiſſe, labor?

Laurus.

Arbor ego Phæbi, viridis, frondoſáque ſemper,
Neſcio calvitium, canitiêmve pati.

Aliquid ex nihilo. Ænigma Arithmeticum.

Addideris unum nihilo, nihil inde creatur;
Adde uni nihilum, naſcitur inde decas.

(01. 10.)

Dalila.

Samſonem rigidis ſpoliavit crinibus uxor:
Hoc noſtro multæ tempore ſunt Dalilæ.

Ad inteſtatum Colinum.

Nil moriens, Coline, tuis das, omnia linquis,
Parcus eras vivens: parcus eras moriens.

Pediculus.

Tu morſu me lædis; egóque tibi infero mortem:
Eſt tua culpa levis, non nego; pœna gravis.

In quendam divitem.

Magnus amor tuus eſt; ſi multum hoc tempore dones;
Si multum credas, eſt tua magna Fides.

De malo in pejus.

Incidit iu ſcyllam cupiens vitare Charybtim,
Qui morbum fugiens, incidit in medicum.
Stulti dum vitant vitia, in contraria currunt:
Qui litem fugiunt, cauſidicúmque petunt.

De prodigo, & avaro.

Prodigus omnis homo miſer eſt, miſer omnis avarus:
Iſtius miſeri filius ille miſer.

In Quintum immiſericordem.

Nudus, inopſvé tuas ſi quis pulſaverit ædes:
Quinte, ſtipem miſero quâ ratione negas?
Mendicare ſtipem prohibet lex Anglica, dicis;
Eſto; tamen miſeris lex dare nulla vetat,

Hu-

Humanum est labi.

Terque, quaterque die justus cadit, ut lego scriptum:
At quoties, scriptum non lego, justa cadit?

Ad ineptum scriptorem.

O utinam vel tota foret tua nigra papyrus;
Tincta foret nullo vel tua charta nigro.

In Cornutum.

Si natura daret tibi cornua, tollere posses:
Quod tibi nupta dedit, tollere nemo potest.

O Tempora! o mores!

Tempora mutantur, nos & mutamur in illis:
Quomodo? fit semper tempore pejor homo.

Agna.

Nupta senatori Benedicto non benedicto,
Credita quæ fueras Agna, reperta lupa es.

Ad Pollum clientem.

Lis pendet tibi Polle? semel tibi pendere præstat:
Quàm pendêre diu; solve, solutus eris.

Frigus calidum.

Est mare frigidior mulier; tamen urit amantem;
Sic calx in gelidam jacta calescit aquam.

In Festum mendacem.

Omnis homo est mendax; puto, Feste, fateberis ergo:
Mentiris dicit, qui tibi dicit, homo es.

Crœsi, & Iri Epitaphium.

Hìc jacet, hìc situs est Cræsus sub marmore, quæris,
Irus ubi jaceat pauper? ubique jacet.

Fides.

Nos ratio docet esse DEum, cogítque fateri;
Hâc ratione, fides est rationis opus.

DEUS.

Omnia cùm videat, nulli DEus ipse videtur;
Solus ubique patet, solus ubique latet.

Æquinoctium perpetuum.

Ad cæcum.

Æqua fluit noctíque dies tibi, noxque diei:
Non tamen æquatur linea quæque tibi.

Axungia.

Ne siccus volvente rotâ crepet, ungitur axis:
Causidicum mos est ungere, ne taceat.

In Mauros, qui Angelos nigros, dæmones albos pingunt.

Innatum nigror non exuit arte colorem:
Albus in adversum vertitur arte color.
Posse negant sancti resipiscere dæmona patres:
Non est ergo Satan candidus, hic niger est.

Sol.

Tres infra, totidémque supra te cerno planetas:
In medio virtus maxima, Phæbe, tua est.

Castor,

Castor, & Pollux.

Concordes duo sunt in cælo sidera fratres:
In terrâ unanimes vix reor esse duos.

In quendam Crucigerum hypocritam.

Esse crucifixi juratus creditur hostis,
Belzebub & visæ vertere terga Cruci:
Non tamen iste crucem fugit impius angelus omnem;
Est tibi nam Crux in pectore, corde Satan.

Stella Magorum.

Stella Mathematicis incognita duxit euntes
Ad Christum magnos ex Oriente magos;
Invenêre Magi Dominum duce sidere fidô;
Ad Christum ducat me, mea stella, fides.

De diluvio, & fine Mundi.

Lascivi propter peccata pudenda caloris,
Improbus in gelidâ mergitur orbis aquâ.
Peccatum propter gelidum frigentis amoris,
Restat, ut hunc Mundum devoret ignis edax;
Per sua sic morbos medici contraria curant:
Algor iners flammis vincitur; Ardor aquis.

De DEO, & Diabolo.

Nullum vult salvum fieri Dæmon: DEus omnes;
Personæ acceptor nullius Ille, nec Hic.

De bono, & malo

Pæna malum post fata manet, sua præmia justum,
Alter quod sperat; quod timet, alter habet.

Fac ſimile. Ad Attalum.

Attale ſacra piæ miſcenda Theorica Praxi:
Sanctorum vitas perlege; Fac ſimile.

Redemptor.

Te ſinè nil video, ſapio nil, tu meus es Sol
Solus, Tu meus es Sal, mea ſola Salus.

Methodus pecuniaria.

Magna quidem virtus nummis eſt poſſe potiri;
Scire uti, major, maxima velle frui.

Virtus.

Præter virtutem nihil immortale tenemus:
Mens manet, & virtus: Cætera mortis erunt.

Roſa.

Quô nares perfundat, habet roſa ſuavis odorem,
Quô contrectantem pungat, acumen habet.

In Jacobum Petrinum.

Fluxarum contemptor opum, cupiduſque videndi
Vera per omne ſolum, mira per omne Salum;
Impiger extremum currens Petrinus ad axem,
Per terram æternas, per mare quærit opes.

Ad Lectorem.

Quæ legis hîc, ſunt curta Epigrammata, ſunt quoque pauca;
Nam ſi multa forent curtula, longa forent.
Quæ legis hîc, ſunt pauca Epigrammata, ſunt quóque curta;
Nam ſi longa forent paucula, multa forent.

Ad

Ad eundem.

Non cuivis lectori, Auditorivé placebo:
Lector, & Auditor nec mihi quisque placet.

De Controversiis.

Theologi certant, & adhuc sub judice lis est;
O Utinam lis sub judice tota foret!
Theologi certant, & adhuc de judice lis est:
O utinam lis de judice tota foret!
Tanta vel in nobis utinam lis esset amoris.
Quantus, in hoc lacero tempore, litis amor.

Quis tu es?

Queis oculos videam ipse meos, oculi mihi desunt;
Quâ mentem videam, mens mea mente caret.
Si mens, una mei pars optima, nescio quid sit.
Unde tibi possum dicere, sim quid ego?

Petrus.

Ultimus in Solymâ Caiphas fuit urbe sacerdos;
Ut perhibent, Româ primus in urbe Cephas,

Initium Sapientiæ timor.

Speraret cælos nemo, si nemo timeret
Infera, prudenti spem facit ipse metus.

Socrates.

Nil scis, unum hoc scis aliquid scis; & nihil ergo:
Hoc aliquid nihil est: hoc nihil est aliquid.

Tres dimensiones.

Ad quendam Concionatorem.

Vox tua mensuris desiderat à tribus unam;
Larga satis, nimiùm longa, profunda parùm.

Solstitium.

In Ponticum atheum.

Solstitium vitæ mors est; Sol stare videtur,
Non stat: homoque mori, Pontice, non moritur.

Ad Pontilianum.

In jus Christophorus te, Pontiliane, vocavit:
Non te, sed nummos, Pontiliane, tuos.

De Mundis Democriti.

Si quot Democritus mundos ait esse, tot essent:
Innumerabilium pessimus iste foret.

Luna.

Te maris appellant undosi, Cynthia, stellam:
Nunc terram potiùs, quàm mare, Luna regit.

Avara liberalitas. In Acerram,

Donat, ut accipiat; non accipit, ut det, Acerra,
Accipere est illi meta; sagitta dare.

Bellum Elementare.

Condiderit quàmvis hominum Deus omnia causâ,
Bella tamen contra nos Elementa gerunt.
Quàm multas äer animas demisit in orcum
Pestifer, ac letho res, hominesque dedit?

Patientia amatoria.

Vis votô potiaris amans? patiaris; oportet,
Si vis in dulci vivere pace, pati.

Poëta multâ lectione opus.

Instar apis debet variis excerpere libris,
Mellifluo ut manet dulcis ab ore liquor.

Anglia in honorem Annæ Reginæ Angliæ.

eCCe MeDIatrIX.

Fæminei generis Pax eſt, dat fæmina Pacem,
Quæ Bellona fuit, nunc Dea Pacis erit.

Auſtria.

Fæminei generis Pax eſt, mutabile ſemper,
Fæmina nec Belli, nec Dea Pacis erit.
Spes nimiùm vana eſt, ut det Dea fæmina Pacem:
Qualis enim Deitas; Pax quoque talis erit.

De ſuis hæredibus.

Nemo ſuâ certus de conjuge, præter Adamum;
Deque ſuo nemo conjuge, præter Evam.
Conjugibus, miſero præſertim (in amore) marito,
Solari ſupereſt quid; niſi ſola fides?

Laus Virtutis.

Solis ut in ſolo motu conſtantia conſtat;
Conſtans virtutis vis in agendo ſita eſt.

Omnia pro vita æterna ſunt hic toleranda.

Si quanta æternæ ſunt vitæ præmia volvis,
Omnia pro Chriſto perpetiére libens.

Victrix fortunæ ſapientia.

Si fueris ſapiens Cræſi ſuperaveris aurum:
Nam ſapiens nullô tempore vixit inops.

Omnia patienter ferenda.

Quod tibi contigerit, patienter ferre memento:
Nam certum, fieri numine cuncta Dei.

Mea

Memoria mortis, & inferni.

Is facilè extinguet Veneris flagrantia tela,
Qui meminit mortis, qui Phegethontis aquæ.

Quid sit dives.

Non est, crede mihi, multos qui possidet agros,
Dives ! sed dives, cui satis unus ager.

Quomodò dives, & felix fias.

Vis fieri dives ? Christi mandata sequaris !
Diminuesque animi gaudia nota tui.

Ad Dominam virtuosam.

Ut sol in cælis, ut lux in sole videtur,
Virtus in vultu sic habitare tuo.
Spectator quicunque venit, discedit amator :
Aut illum virtus, aut tua forma capit.

Ad ejusdem filiam.

Es similis matri : de te mihi dicere plura,
Nil opus est ; matri te similem esse, sat est.

In Alanam.

Conjugiô esse jugum non intolerantius ullum.
Nil aliud totô clamat Alana die.
Post tot clamores, & jurgia nocte fatetur,
Conjugiô nullum suavius esse jugum.

De vita, & Venere.

Omnis ad extremum properet licèt actio finem :
Oderunt finem vita, Venusque suum.

Ma-

DEUS.

Ut prohibent oculum nebulæ discernere cælum:
Sic videt ob mentis nubila nemo DEUM.
Nemo DEUM vidit ; pauci audivêre loquentem.
Hinc tam rara fides ; at magè rarus amor.

In Pontiam.

In mare Cornutos jaciendos Pontius inquit :
Pontia respondit : disce natare prius.

Chirurgus.

Bella magis, pacemve precer? mihi servit utrumque ;
Ambo patroni Marsque, Venusque, mei.

In Cynthiam.

Sint utinam similes formæ tibi, Cynthia, mores ;
Sitque tibi tam mens candida, quàm manus est.

In Gelliam.

Dum pecces sine teste, putas te, Gellia, tutam,
Quanquàm turpe nihil tu sine teste facis.

Ad Gallum.

Plùs tibi vicini coniux, tua plùs placet illi :
Cuique igitur pulchrum non solet esse suum.

Ad Germanicum.

Mitto tibi carmen. Germanice. muneris instar :
Mitte mihi munus : carminis instar erit.

In Martialem.

Dicere de rebus, personis parcere nôsti :
Sunt sine felle tui, non sine melle sales.

Audi-

Auditus.

Quàm citò vocalis vanescit in aure voluptas?
Quæ velut aura venit, quæ velut aura fugit.

Gustus.

Quò vis, ut gustus major sit in ore voluptas:
Hoc tibi constabit pluris, emenda fame.

Objecta sensuum.

Visa, audita, olfacta mihi, gustataque, tacta,
Afficiunt sensus, inficiuntque meos.

Libido.

Deformem nigrâ formosam nocte videri,
Non nox atra facit: cæca libido facit.

Venetiæ.

Ut mare nil nisi aquæ: cælum nihil est nisi stellæ:
Sic sunt Venetiæ nil nisi divitiæ.

Lyra.

In tam diversis cùm sit concordia chordis;
Tam discors hominum non pudet esse genus?

Tibi soli peccavi. Psal. 50.

Subditus in legem peccat, Regemque, Deumque:
Rex peccat soli (rex quia nempe) Deo.

Fama.

Quærito virtutes, virtutum spernito laudes:
Nominis est etenim gloria, non hominis.

Multiloquium.

Sermones crebri morum ſunt ſigna malorum:
Nam quid opus verbis eſt, ubi facta vides?

Fides ex auditu. Amor ex viſu.

Eloquentia.

Ancipiti eloquium longè penetrantius enſe:
Hoc rabiem notam ſedat, & arma virûm.

Philoſophia.

Plurima ſcire volunt omnes; at credere pauci,
Hinc multi credunt plurima, pauca ſciunt.

Tempus.

Omnia fert ætas ſecum; aufert omnia ſecum:
Omnia tempus habent; omnia tempus habet.

Paupertas multis eſt bona.

Sobria paupertas multorum eſt cauſa bonorum;
Hanc tamen ut peſtem plurima turba fugit.

Mors vitari non poteſt.

Quod nequeas vitare, fugis? mors omnibus inſtat;
Nec formidanda eſt, nec fugienda tibi.

Munera.

Munera ſi gratis dederis, ſi lætus amicis,
Tollet divitias has tibi nulla dies.

Conſcientia bona nil timet.

Qui rectè vivit, contemnit jura ſuperba,
Conſcia mens recti nil timuiſſe poteſt.

FINIS.

NB.

Errata Typographica ſic corrige.

FOliô 9. rerrorſum, lege retrorſum. Fol. 35. æger; ager. Fol. 39. propingua, qropinqua. Fol. 65. ſecundum, ſecundus. Fol. 83. tutus erit, tuta foret. Fol. 152. vetulam, viduam. Fol. 182. Lates, LAtes. Fol. 185. LVčIſoænVe, LVčIſonæVe. Fol. 189. EXpLVſæVe, EXpVLſæqVe. Et omnia Commata poſt nomen Evæ delenda ſunt. Fol. 201. beatus, beatius. Fol. 206. Ftuſtrà, Fruſtrâ. Fol. 208. Panche Pan che. Fol. 210. orechio, cerchio Fol. 212. grodire, gradire. Fol. 182. ſumos, ſum os. Fol. eodem vice, vive. Fol. 136. ſalvias, ſalivas. Fol. 28. omnipotensque, omnipatensque. Fol. 190. breve, breVe. Fol. 237. terrenda, terenda.

Appendicem hanc

CEnſeo poſſe imprimi, ſi ita viſum fuerit Reverendiſſ. ac Perilluſt. Dno. Dno. Magnific. Univerſitatis Rectori.

ANTONIUS VANOSSI, S. J.
p. t. Prof. Poëſ.

Imprimatur.

GEORG. HENRIC. LAMBRECHT,
Dr. Univ. Vienn. Rector.